

1.
1.
1.
10
1
2
10
1.
10
1.
2
3.



1, 30. 4, 20 11
1788
1689, 16

CEDAT FELICITER!
DISPUTATIO JURIDICA
DE
CONTRACTU
MEDICI CUM
ÆGROTO,

Quam
Occasione

L. si medicus 3. ff. de extr. Cogn. & L. archiatri 9. C. de Prof. & Med.

FAVENTE DEO

IN INCLYTO GEDANEN. ATHENÆO,
PRÆSIDE

DN. JOHANNES SCHULTZIO,

J. U. D. EJUSDEM ET HISTOR. P. P.

UT ET DICTI ATHENÆI INSPECTORE,

FAUTORE & PRÆCEPTORE SUO

DEVENERANDO,

IN AUDITORIO MAXIMO

Horâ nonâ

Anno M. DC. LXXXIX. D. XXVII. Septemb,

Publico Eruditorum Examini sistit


MATTHIAS DANIEL LAURENS,

Treptoâ - Pomeranus.

GEDANI, Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII.

N. 9.

Schulthe
contract. medici cum aegroto.



VIRIS, Titulos Supergressis,
DOMINIS DOMINIS,
DN. JOHANNI SCHMIDT,
DN. OTTONI DIETER. VOEGEDING,
Philos. & Medicinæ Doctoribus Excellentissimis,
& Reipublicæ Gedanensis Physicis consum-
matisimis.

DN. JOANNI GEORGIO SPECHT,
Ph. & M. D.

DN. ISRAELI CONRAD, P. & M. D.

DN. CHRISTOPHORO GODTWALD,
Ph. & M. D.

DN. CHRISTIANO DOERING, P. & M. D.

DN. SIGISMUNDO SCHULTZ,
Ph. & M. D.

DN. PETRO PANTELIO, P. & M. D.

DN. HEINRICO MARTINO, P. & M. D.

DN. JOANNI JACOBO WEBERSKI,
Ph. & M. D.

DN. ERNESTO GOTTFRIED HEYSE,
Ph. & M. D., Professori Gymnasii nostri celeberrimo.

DN. EPHRAIMO FUERSTLOFF,
Ph. & M. D.

Medi-

Medicis Eruditionis famâ conspicuis,
Rerum Experienciâ munitis,
Virtutumque omnium gloriâ claris,
DOMINIS, PATRONIS, PRÆCEPTORI-
BUS, FAUTORIBUS, COGNATO,
AFFINI,
Omni observantiæ cultu prosequendis, suspiciendis,
Cum Votô humillimô,
Ut Patriæ Decori, Orbi Literato Gloriæ, Familiis Splen-
dori, Ægrotis Desiderio, Clientibus Emolumento,
Mihi Solatio,
In seram usque protrahant ætates suas Posteritatem.
Hanc de
CONTRACTU MEDICI cum ÆGROTO disputationem,
Cum subjectissimâ studiorum commendatione

D. D. D.

MATTHIAS DANIEL LAURENS.

CAPUT I.
 QUO SENSU MEDICÆ MATE-
 RIÆ A JCTO TRACTANDÆ SINT.

§. 1. JCTUS architectonicam omnium scientiarum habere debet cognitionem. §. 2. Ideòque & Medicinæ, probatur id jure, Exemplis Judiciorum & Doctorum. §. 3. Quò sensu in JCTò requiratur & non requiratur dogmatica Medicinæ scientia. §. 4. Scopus Disputationis refertur, qui est de Contractu Medici cum Ægrotò. Leges fundamentales allegantur de quæst: an contractus Medici cum ægro sit licitus an verò illicitus. §. 5. Recensentur Opiniones Doctorum. §. 6. Methodus exhibetur intentionis nostræ.

§. 1.

Rectè Jurisprudentiam *Divinarum Humanarumque Rerum scientiam* appellavit Sacratissimus Imperator §. 1. *Inst. de J. & J.* non quod omnium artium *genuinam & dogmaticam* sibi vindicet cognitionem, quam potius suis commendat cultoribus; sed quod eandem *Architectonicò*, ad finem optimum, salutem sc. Reipubl. *consiliò* dirigat. Quò sensu accipienda sunt Imperatoris verba *in præf. Nov. 8. pr. dum, per omnem, inquit, curiositatem & subtilem inquisitionem discurremus, illa agendo, quæ utilitatem nostris subjectis inferant.* Et non incongruè ratio istius asserti depromi potest *ex Donò Regiò S. A. R. Jacobi L. 2. p. 62. Quò patto, alloquitur filium, omnes corrigas, (quod tui est officii,) si omnes non noveris?* Judicium enim sine præviâ causæ cognitione nullum est. *arg. l. 21. ff. si certum petatur.*

§. 2. Medicorum itaque Personas etiam & Actiones rectè intrà Juris nostri, eodem, qui JCTis convenit, *Architectonicò consiliò*, pertrahemus circulum, *Architectonicum* verò hic intelligi-

A

mus

mus eò sensu, quò Architecti prudentia imprimis accipi solet: Quæ in directione, non verò in fabrili aut mechanicâ consistit operâ. Et ad hunc sensum trahenda sunt, quæ in Jure nostrò Civili de Medicis eorumquè Personis & officiis disposita legimus, *rr. C. de Profess. & Medicis. l. 3. C. de Extraord. Cognit.* Eodemquè intellectu accipiendum est, quod Viri quidam Principes *Sacerdotium & Medicinam* tanquàm propria Magistratus Civilis attributa sibi vindicaverint. *Monfr. de la Mothe le Vayer rr. de la Santé & de la maladie, T. 8. p. 177. & T. 9. p. 380.* Nec insolita est praxis recentiorum temporum, quâ in ipsa Medicæ artis arcana penetraverunt Judicum decreta; Cujus rei illustre Exemplum in Galliâ accidisse memoratur: Postquàm *Antimonii virtus* operâ Basilii Valentini Monachi in *rr. Currus Antimonii Triumphalis* innotuisset, eandemquè tribus iterum seculis sepultam revocasset Paracelsus, insisterentquè isti remedio sectæ isti addicti, in medendis morbis felicissimi, cura hæc Antimonii virtute expedienda universalis ac in Galliâ commendatissima esse cœpit. Medici interim adversæ partis felicitati isti invidere, virtutem medicamenti istius contemnere, & supposititiâ fraude vim illius optimam in contrarios effectus detorquere, adeò ut Antimonium communi omnium suffragio pro Venenò reputatum fuerit. Successit paulò post decretum Parlamenti Parisiensis de A. 1566. quò usus Antimonii absolutè damnatus fuit. Et istius decreti tam sancta apud Medicos remansit observantia, ut medicus quidam celeberrimus *Besnier* dictus exclusus fuerit à Facultate Medicâ, eò quod contrà decretum Parlamenti Antimonii usum revocaverit, non habitâ felicitis per ejus usum medelæ ratione. Tandem redire sensim cœpit Antimonii æstimatio, dum publicâ Auctoritate inter purgativa referretur, A. 1637. Successuquè temporis eò deventum, ut Parlamentum Parisiense rumperet seu annullaret decretum A. 1566. editum, ipsumquè Antimonii usum aliò Decretò de 1650. publicè introduceret. *confer. Monsr. Beyle in Nouvell. de la Republ. des lettres A. 1685. au Moy de Fevrier sur le livre. Job. Nicol. Pechlin. M. D. de potu Theæ Dialogus. Journal des Sçavans du 7. Juin. 1666.* Eadem ex causâ Architectonicæ istius circâ Medicinam scientiæ studium

dium exercuerunt JCrī longè celeberrimi. Quorum numerus paginam utramque expleret, nisi jam exactum illorum catalogum exhibuissent, *Besold. in Thef. Pract. Advoc. Arhney Doctor p. 52. & Speidelius in Speculō Jur. Polit. Philol. Historicō. ad eandem Voc. Arht. & in ejusdem contin. ad voc. medici.*

§. 3. Quod dogmaticam Medicinæ scientiam attinet, hanc tanquàm ministerialem & Characterem sui Ordinis in JCrō necessariam non requirimus, quin, potius eandem Ordini Medicorum eruditissimo adjudicamus. Est enim tanta istius scientiæ abyssus, ut eruendæ inde veritati vix unus sufficiat. Conf. Tractat. Cardani *Labyrinthis contradicentium Medicor.* Doctam hic sæpè cum Cardinali de Cusâ, aut solertem cum Hectore Pinto profiteri juvabit ignorantiam. Uni igitur inharere præstat potius scopo, quam per omnia diffusum ostentare animum. Judice Senecâ, *Agrianimi ista jactatio est.* Illud vide, inquit ille, *ne ista lectio multorum Auctorum habeat aliquid vagum & instabile. Certe ingenis (addendam,) scientiis immorari & mirari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animò feliciter hæreat; Nusquam est, qui ubique est. In peregrinationibus vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem necesse est, accidat iis, qui nulli scientiæ se familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt &c.* *Epist. 2. n. B.* Non tamen eò ipsò planè talia dari negamus ingenia, in quibus scientiarum cumulus elucescit. Salamonem & regendi prudentia & omnium scientiarum apparatus æquali commendarunt encomio: Primusque Medicorum in Chinâ Imperatorem egit elogio nationis suæ prudentissimum, *Hoami* dictus A. post diluvium 400. s. 2697. ante nativitatem Christi. *Autor des N. d. R. d. L. l' ann. 1686. au mois de Sept. p. 1013.* Sed rariora hæc sunt Exempla, nostriquè instituti non absolvunt rationem, quæ eò tendit, ut in JCrō, quæ JCrō non dogmatica, sed, Architectonica requiratur Medicæ artis cognitio, quatenus sc. Medici Reipubl. subsint, & ab hac normam suarum Actionum accipiant. Dum verò dogmaticam hic à JCrō separamus Medicinæ scientiam, illam tamen circà proprii corporis, temperamentis, & medicamentorum sibi utilium & noxiorum cognitionem non excludi-



mus, quin potius eandem ut omni homini, ita Jctō necessariam commendamus cum Authore celebris illius tr. *Le Medecin. de Soy-meme.* Interim ad Architectonicum consilium trahenda sunt, Jura, dignitates, privilegia, immunitates ab oneribus, officii necessitas, neglecti ejusdem p̄na, qualitates, attributa.

§. 4. Sed omnia hæc cum jam aliorum exercuerint ingenia; Instituti nostri ratio *Contractus Medicorum cum Ægrotis* proponet examinandos. Occasionem verò explicandæ istius materiæ præbuerunt imprimis *l. si medicus 3. ff. de Extraord. Cognit. & l. Archiatri 9. C. de Professor. & Medicis.* Legum verba hæc sunt, & quidem ita Ulpianus in *l. 3. ff. Si medicus, cui curandos suos Oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum, per adversa medicamenta inferendo, compulit, ut ei possessiones suas contra fidem bonam æger venderet: Incivile factum præses provinciæ coërceat, remq; restitui jubeat. L. 9. verò C. de Prof. & Med. hic sensus est. Archiatri scientes annonaria sibi commoda à populi commodis ministrari, honestè obsequi tenuioribus malint, quàm turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt.*

§. 5. Ex his itaque de *Contractu Medici cum Ægrotō* exoritur quæstio, *an is concedi possit, an verò prohibeatur.* Communis Doctorum opinio ex ratione verborum legis pro posteriori decidit, circà effectus tantum quosdam Juris Civilis dubii. Ratio prohibitionis in *suspensione metus concussionis & periculi imminens* collocatur. Circà Effectus verò Juris Civilis ita certant: Sunt enim alii, qui contractum inter Medicum & Ægrotum tanquam ipso jure nullum dicunt, propter prohibitionem Legis. Pinellus ad *L. 2. C. de Rescind. vendit. P. 2. c. 2. n. 33.* etiam si non appareat enormis læsio. Costat. ad *L. metum ff. quod Metus causa. ad exemplum pacti inter advocatum & clientem de quota litis. l. 6. §. 1. C. de Postulando.* Verum refutatur hæc ratio à Baldo ad *L. 1. n. 3. C. Mandati & aliis in Thoma Act. P. 1. c. 49. n. 24. & seq.* quod magna sit diversitas inter pactum Advocati cum cliente de quota litis & pactum Medici cum Ægrotō, ob majorem favorem recuperandæ sanitatis, quam litis victoriæ. Secunda opinio est Matth.

Math. de Afflictis Dec. Neapol. 123. n. 2. qui distinguit inter Medicos publico salario constitutos & qui illò constituti nō sunt: hos arg. l. 9. C. de Profes. recte cum Ægrotò contrahere posse statuit, illos vero non. Sed refutatur hæc decisio, ab Hunnio *Resol. Volum. 2. Disp. 2. P. 1. Th. 3. p. 142. in fin.* quod ratio legis h. e. metus concussionis æque à Medicò publicò salariò constitutò ac ab aliò expectari possit. Tertia est Annæi Roberti in L. 1. *Rer. judicat. c. 2. fol. 17.* quod quidem contractus sit ipsò jure validus sed extra ordinem implorato judicis officio rescindi possit. Resp. concederetur id ubi metus probari possit, qui si cesset, contractum nec rescindi posse docuit Bachovius in *Not. ad Trentl. Disp. 6. Th. 7. lit. C.* Quarta opinio est Hunnii d. l. quod contractus de solario constituendo sine vitio non sit, secus de alia re emendâ vendenda. Resp. & in tali contractu metum concussionis intervenire posse, cujus intuitu Ægrotus in omnem Medici contractum consentit. Nos hic *Magnif. Dn. Strykii* Decisionem venerabimur, quæ *non omnem contractum medici cum Ægrotò illicitum reddit, si sc. Metus concussionis absit. Conf. Caus. Contr. S. 2. c. 8. th. 5.* Propositi itaque nostri eventus eò collimabit, ut decisionis istius Veritatem ex ipsius juris deducamus argumentis. Et ut ordine rem aggrediamur, ex contractuum naturâ methodum nostram deprompturi sumus.

§. 6. Omnem contractum constare consensu *Personarum super re & quandoq; pretio simul, tandemq; producere actionem ad sui implementum* docent l. 1. §. fin. l. 2. §. 1. & 9. pr. ff. de Contract. Empt. *Brunnem. ad Wesenb. qu. 6. de contr. Empt.* Pensum itaq; Materix nostræ methodo juri nostro convenientissimâ arg. §. fin. l. d. J. N. G. & C. divisum, (I) an ratione *Personarum contrahentium vitium aliquod impediatur contractum.* (II.) quæ res ab utraq; parte in contractum venire possint. (III.) quæ inde utriusque actio enascatur, exponere contendemus.

CAPUT II.
DE PERSONIS CONTRAHEN-
TIBUS, MEDICO & ÆGROTO.

§. 1. Requisita Medici ratione Personæ. §. 2. Inter quæ præcipuum est Probitas morum & quidem *interna*, sc. Conscientia & religio. §. 3. Contractus itaque à Medicò Religiosò initus semper justus erit, injustus verò ab impiò celebratus. §. 4. Hinc crimina, quæ directè in opprobrium Dei tendunt, ab ipsò commissà ipsum repellunt à contrahendi libertate; §. 5. Imò etiam illa quæ indirectè, cur hæc in reliquis non ità advertantur ut in Medicis. §. 6. Quid si Medicus clàm sceleratum foveat animum, tunc ex circumstantiis id dijudicandum. §. 7. Quid judicandum de praxi quorundam locorum, quæ Judæos admittit Medicos. §. 8. Morum probitas *externa* s. concinnitas contractui isti an adversetur. §. 9. An metus Garrulitatis in Medicò. §. 10. An scientia medici obstat contractui? Neg. §. 11. An imperitia? Resp. aff. §. 12. Si simulet Medicus medicamenta fortia leniora dicens, an subsistat contractus. §. 13. Quandonam simulatio Medici injusta contractum quoque reddat nullum. §. 14. Quid si mortis periculum celet, quò Ægrotus animæ curam negligat. §. 15. An Medicus ad succurrendum Ægrotò cogi possit? §. 16. Quæ respectu Ægroti impedimenta sint. An ægritudo Corporis, si sanitas mentis adsit? Resp. Neg. Anægritudo mentis? Aff. eaque sufficit remissior respectu Medici, cum respectu aliorum intensior requiratur. §. 17. An ægrotus coràm Medico simulare

mulare possit morbum. §. 18. An fœminæ in secretioribus partibus genus medendi admittere.

§. 1.

Personarum contrahentium par hic absolvunt *Medicus & Ægrotus*. Medici itaque primò personam ejusque qualitates examinandas proponemus, quo sensu contractus illius cum Ægrotis initi admittantur, quòque eidem adversentur. Qualitates verò præcipuas & cardinales notat Ulpianus *in l. 1. ff. de decret. ab ordin. fac.* quod sint *Probitas morum & Peritia artis*. Illa morum sc. probitas etiam duplex erit *interna*, quæ consistit in religione & conscientia, *Grot. l. 1. c. 2. th. 1. n. 3. cum proleg. §. 20. & Externa*, sc. decorum, cujus Regulam præbet *Joh. Casa. Archi-Episcopus Beneventanus in Galathæò suò istam: Nihil faciendum esse quod intellectui, vel sensui aliorum contrarium sit.*

§. 2. *Religio itaque & conscientia* in Medico primum requiritur, non tantùm ex generali omnis laboris necessitudine, cum *initium sapientiæ sit timor domini Prov. 1. v. 2.* Sed & ex speciali Scientiæ istius cum Divinò nutu connexitate, *Syrach. 38. v. 9. & 2. Chron. 16. v. 12.* adèò ut Medicum in conscientia peccare probet *Ahasv. Frischius*, si absque imploratione Divini Numinis curationem Ægroti aggrediatur. *ir. d. peccaris medic. Concl. 2.* aut qui arti suæ plus, quàm divinæ benedictioni confidit, *id. concl. 5.* Et hoc sensu intelligendum est *2. Paral. 16. v. 12.* ubi Rex inculpatur, quod spretò divinò auxiliò in medicorum humano spem posuerit consilio, *Grot. in Not. Bibl. ad d. 1.* Rectè igitur medicum hic pium ab impiò & extrà conscientia sensum positò separamus, ne odium istius illius favorem elidat. Imò ipsa medicæ artis principia *religiosum* requirunt *Medicum, qui nec ab arte suâ nec in se consideratus, nec suò rite fungens officio quicquam ergà Divinum Numen sceleris possidet.* Cujus asserti veritatem rationibus adstruere supersedemus, cum eandem & ex naturæ abditis eruerit, ipsoque peritiorum artis testimoniò communi confirmarit *elegantissimâ oratione inaugurali de Medico Religiosò Excellentiss. D. D. Heyseus. Profess. Athenæi nostri celeberrimus.*

§. 3. Cum

§. 3. Cum itaque præsumptio sit pro Medici Religione & Conscientiâ , ad amicitias verò conciliandas , & ad fidem sibi parandam multùm valeat opinio de justitiâ & religione, ut fusè id aliâ in causâ deducit *Grotius d. J. B. & P. Proleg. §. 27.* Sanè nulla impedit ratio, quò minus Medico cum Ægrotò contractum inire liceat. Cessabit enim tunc (1) metus concussionis, qui regulariter non præsumitur, sed probandus est ab adversâ parte, quia est delictum *l. ult. §. 1. ff. quod metus causa Menoch. l. 3. præf. 126.* Cessabit (2) præsumptio doli, qui in contractibus imprimis onerosis & à bonis viris abesse solet, *l. 1. §. 12. ff. siquid in Fraud. Patroni factum. Du. Brunn. in comm. ad ff. ad d. l. n. 3.* Aliò itaque sensu intelligendæ sunt leges nostræ contractum Medici cum Ægrotò prohibentes; Scilicet si expresse de impietate & dolò medici constet. Cui decisioni adstipulantur *Baldus, Alciatus, Jason, quos allegat. Pinellus ad l. 2. C. & Resc. vendit. L. 2. p. 2. n. 32. Bacho. in Trenil. disp. 6. th. 7. lit. C.* Et hætenus quidem indubia est decisionis istius ratio, cum religio erga Deum Jurî gentium adscribatur, *l. 2. ff. d. J. & J.* eamque violans beneficiis juris gentium se indignum reddat, ita ut non possit nec inter vivos nec mortis causa disponere, *arg. l. 4. §. 1. C. & Heret. & Manich. Klock. Conf. 51. n. 250. vol. 1. Covarr. L. 2. res. c. 9. n. 12. Decian. L. 5. c. 44. n. 2. Tholos. L. 33. c. 8. n. 11. Menoch. L. 2. Arb. Qu. Cas. 374. n. 3. & sequ.* Verùm obstabit hic, nihil hac ratione singularis in Medicò disponi, cum prohibitio legis omnes tangat. Ita quidem est, major tamen in Medicò requiritur vitæ sanctimonia, quàm in reliquis, propter majorem læsionis metum, qui à Medicò intentari potest contrahente, non ita à quolibet aliò.

§. 4. Criminum verò in Deum gradus hic probè advertendi prius erunt. Ac primò quidem *Atheismus* tam in Medico, quàm in aliò quocunque omnem excludit contrahendi licentiam. Ignorat enim *justitiam qui religionem Dei non tenet; quomodo enim potest eam nosse, qui unde oriatur, ignorat,* inquit *Lactantius L. 5. Inst. conferatur fusè Grot. d. J. B. & P. L. 2. c. 20. th. 46. Farin. qu. 20. n. 38. 40. 41. qu. 101. n. 14.* Subordina-
turei

tur ei Blasphemix crimen, id quod etiam non attentò personarum respectu eodem pænæ genere dignos reddit autores suos, *Molina tr. 3. Disp. 44. n. 1. Dec. L. 5. C. 20. n. 1. Menoch. L. 2. Arb. Q. c. 375.*

§. 5. Cætera crimina, quæ non tam directè, quàm per consequentiam in opprobrium & contumeliam Dei ex intentione pertrantium tendunt, non omnes illicò ab usu jurium humanorum excludunt, sed certis tantum personis ex speciali ratione frenum injiciunt. Specialis verò ratio fundatur, non in odio personæ aut ejusdem officii, sed in *metu occasionis lædendi, quæ huic præ aliò facilior adesse solet*, adjuvante illam contrahentis ex unâ parte impietate, V. C. inter eos, cum quibus Juris gentium communio contractus celebrare permittit, referuntur (1) *hostes* quicunque, etiam injustum bellum moventes, *l. 17. ff. d. Legation. Fides*, inquit Augustinus, *quando promittitur, etiam hosti servanda est, quando bellum geritur, Epist. 215. Heretici*, Jacobus Scultes, *Quest. pr. 70. Guibert. Cost. qu. c. 3. arg. Nov. 129. c. 1. Naurath. ad Zes. L. 1. tit. 4. C. d. heret. & man. Hotoman. qu. illustr. 7. Latrones* alique scelerati, quæ tales. *Leno sum, fateor: pernices communis adolescentium. Perjurus: Pestis. tamen tibi à me nulla est orta injuria, Terent. in Adelphis A. 2. sc. 1. v. 34. Grot. d. J. B. & P. l. 3. c. 19.* His tamen criminibus si infectus sit Medicus, minus ei fidei tribuendum erit, cum occasione lædendi sibi oblatâ faciliorem sine conscientia grassandi in alterius vitam habeat licentiam, ita ut ex metu hóc Ægroti præsumantur quidvis promittere, ne deferantur, aut malè curentur. Et huc veniunt trahendi, qui religionem à Medicò abstrahunt, quique judicò Fried. Bradilæi hunc, *animal propter religionem non concremabile esse asserant*, quique ex sententiâ *Plinii* experimenta per mortes agunt, ita ut illis hominem occidere summa sit impunitas. *N. H. L. 29. c. 1. c. D. Auctor Oration: Inauguralis d. Med. Rel. p. 3. & 4.* Cujus rei metum innuere videtur acclamatio *Novis Doctoribus Medic.* apud Mompelienses: *Vade & occide Cain.* de quâ tamen

B.

nihil

nihil certi apparere ex *Gölnix. Itin. Gall. Belg. f. 570.* fatetur *Excell. Dn. Beckm. in Vol. Diff. Laudes Regales. c. 4. th. 5.*

§. 6. *Quid si verò Medicus clam sceleratum foveat animum?* Resp. Circumstantiæ attendendæ veniunt, ex quibus facile judicari potest, an contractum bonâ fide, an verò malâ celebraverit; Quod colligendum (1) si forte eò tempore, quò porrigit Medicamentum, contrahat, quorsum trahendum est epigramma *Martial. l. 11. Ep. 59.*

*Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tum libertatem divitiasque roges?*

Promittam, nec enim rogas illò tempore tonsor;

Latro rogas. Res est imperiosa timor.

Sed fuerit curvâ cum inta novacula theca,

Frangam tonsori crura manusque simul.

Confer *Meibom. ad Jusjur. Hippocr. p. 260. c. 17. n. 5. & 6. (2)* Ex ratione loci, si forsan in oppidò aliquò unius tantùm Medici copia sit, cujus, in defectu aliorum, favorem quidvis promittendo venerari solet *Ægrotus. Peckm. in Testam. Conjug. L. 1. c. 9. n. 6.* vel (3) in extremò morbi dolore, in quo metu & tædio molestiarum quidvis concederet *Ægrotus, & talem actionem Ægroti involuntariè mixtam appellat Fagundez. tr. de Just. & Contr. l. 6. c. 8. n. 8. Pistor. P. C. qu. 29. n. 2. (4)* Vel morbum in longum tempus protrahit, ut hominum *Ægrotorum facultates emungeret, l. 3. ff. d. Var. & Extraord. Cogn. cum l. 8. 9. §. 1. ff. ad l. Aquil. Rip. tr. de Peste cap. de Remed. ad cur. pest. n. 81.* Manet itaque firma jam decisio, ratione personæ Medici valere ejus contractum cum *Ægrotò, modò de illius Religione & Conscientiâ constet, sin contrarium appareat, eundem prò nullò atque irritò declarari.*

§. 7. Sola jam obstabit praxis & seculi nostri experientia, quæ *Judæos, Hæreticos, aliosque vitæ impuræ sectatores admittit Medicos.* Examinauit justitiam praxeos istius *Additionator ad Martini Uranii Lecturas ad c. Judæi de Testib. fol. 144.* tandemque ita decidit: *Et si non rarò deviant ab arte Judæi, ut plurimum literarum ignari, tantùm practicò usu instructi, tamen & nostris Medici-*

ne

næ Doctoribus utramque artem eruditè callentibus facile quoq; hallucinari promptum, & idem quod Judæis contingere, atq; evenire certum est. Occidunt hi, occidunt & illi. Verùm dubium hic pro negativâ majus subest, an ad Christianorum curam vocati ex conscientia eandem applicent; Remanent tamen odii erga fideles naturalis vestigia, ob quæ procul dubio & jus Civile & Canonicum Judæos, Hæreticos, aliosque infideles & impios à testimonio in Christianos ferendo repellunt, l. 21. C. d. her. & man: Nov. 45. c. 1. & Can. 23. & seqq. Caus. 2. qu. 7. Farin. qu. 56. n. 206. Decian. L. 5. c. 43. n. 2. Ex quâ justâ mutua diffidentia ratione prohibitam in conscientia vult Ægroti cum Judæo communionem, Francisc. Ripa. de Peste c. 7. n. 52. Sicut nec Judæum se facile Medico Christiano committere, mortemque citius eligere, quam ut ab ejusmodi Medico se sanari patiatur, notat *Guilielm. Schickard. ad Tharich. Persf.* p. 89. Hæc ita ex presumptione juris decisa sunt, quæ subinde limitationem patiuntur à probatione contrarii. Hinc si de Judæi conscientia, (quæ licet erronea sit, effectus tamen justitiæ producit, *Ames. in Cas. consc.* L. 1. c. 4. §. 6. & 9.) constet, si actiones ipsius Medicorum aliorum censuræ subsint, & fides eorum à Magistratu approbetur, (Cujus Rei exemplum evidens notatur ab *Hartknoch.* in der Preussischen Kirchen Historie L. 4. c. 1. p. 884. verbis: Es hat nemlich Morgenstern in Danksig mit dem Rath zu streiten angefangen wegen eines Juden/ den der Rath zu einem ordinario Medico in der Stadt angenommen/ dawieder hat sich Morgenstern gesezet/ und darauff gedrungen/ das man solchen Gottes-Lasterer nicht solte dulden/ insonderheit weil er kein Medicus, sondern ein Umstreicher / der von keiner Universitat einiges Zeugniß seiner Kunst und Geschicklichkeit auffweisen könnte/ zu nennen wäre. Der Rath aber antwortete/ man hätte eine Medicum, und nicht einen Theologum angenommen / darzu könne man ihm das Lästern bald verbieten. etc.) admittere tunc posse credimus.

§. 8. *Morum probitas externa* in Medico jam consideranda venit, quæ certè non tam impedire, quàm adjuvare contractus

cum Ægroti inibi robur dicenda erit. Requiritur verò vi Principiorum artis in Medici personâ *morum concinnitas, Vestitus elegantia, affabilitas* tanquam remedia ipsis medicamentis præferenda, per quæ spiritus Ægrotorum elevantur, cum per *morum adversitatem* in Medico notatam, fastidium, diffidentia, depressio spirituum in Ægrotis producantur. *Rod. à Castr. in Med. Pol. l. 3. c. 4. & c. 12. p. 156. it. L. 4. c. 8. v.* Elegantior itaque hæc morum compositio, cum vitiosa non sit, sed potius ad meliorem convenientiam cum vitâ sociali publicè recepta, *Joh. Case Galat. d. Mor. Eleg. & Honest.* eaque in Medico vi artis Medicæ requiratur *p. d. l. Præsumptio erit pro Medicò, talem esse, civilem sequalis* esse debeat. Quod axioma aliâ in materiâ egregiè deducit *Cravetta conf. 1000.* ad eò ut alleganti incivilitatem Medici, probandum sit. Si igitur per consequens omnes contractus cum quibuscunq; etiam ægrotis, Civilibus ex parte alterius verbis instituti, vitio carerent, cum Civilitas non tollat, sed augeat potius Voluntatem *Fagund. d. Inst. & Contr. l. 6. c. 7. n. 15. Magnif. Dn. Stryk. Vol. 2. Diff. d. bland. c. ult.* quid obstabit, quò minus etiam valeat inter Ægrotum & Medicum? Hinc leges illæ obstantes 3. & 9. planè aliò sensu explicandas esse docet *Magnif. D. Stryck in Cautel. contr. d. 2. 8. th. 5.* Ad rationem enim legis attendendum est, quæ est metus incussus & compulsio expressa, quæ si ex verbis austerioribus, aut factis, morbum fortè augendo, juxta verba expressa, *L. per adversa medicamenta compulsi*, elucescat, contractus sicut omnis alius metu initus rescindendus erit. *Alciat. L. 2. parerg. 39. Afflict. dec. 123. n. 2. Dn. Brunn. in Comm. ad d. l. Medico* verò bonâ fide agentis beneficia juris communis nec in hoc casu deneganda esse docuit *Hunnus Vol. 2. Res. Disp. 2. Quest. 1. th. 3. & Cautel. Contr. c. l.* Ut verò civilitatem ab omni dolò immunem requirimus, ita eandem hoc modo etiam in Medico circumscriptam requirimus, ne forte preces & blanditiæ in læsionem Ægroti tendant, quod fit si nimix sint, incongruò tempore applicatæ, quæ Ægrotum tædiò molestiarum faciliè in consensum pertrahunt;

hunt; & has ubique omni modô illicitas esse demonstravit fuse Præses *Disp. de Civil. Profic. c. 1. §. 14. 15. & c. 4. §. 3. c. 7. §. 13.*

§. 9. Mixtam ex utraque internâ & externâ morum probitate Virtutem explet *Taciturnitas, in Medico* commendatissima. Cum enim Ægroti sit causam morbi detegere Medico, si ab hoc commoda exspectanda sint remedia, Baldus in *c. super eô. X. de Cohab. Cleric.* cum hac tamen conditione tacitâ hæc ipsi revelata intelliguntur, ne propalet, adeoque ad id jure naturali quemcunque obligari docuerunt *Steph. à Sancto Paulo in Theolog. Moral. tr. 2. Disp. 6. Dub. 2. n. 23. Ludov. Molina de J. & J. tr. 2. Disp. 5. n. 4. Carpæ. Jurispr. Eccl. L. 3. Def. 25.* Rationem hic adducunt Moralistæ, quia si proximi secretum reveles, damnum ipsi illaturus sis, quod sine justâ causâ aut necessitate licitum non est, sed contra legem Naturalem de non nocendo proximo in animâ, corpore, honore, famâ, fortunæ bonis. *Paul. Layman. tom. 1. tr. 3. L. 3. p. 2. c. 5. pr. Lud. Mol. tr. 4. Disp. 3. n. 2.* Inprimis verò Medico silentium super illicitâ Venere vel aliô crimine, quod Ægrotus ad impetrandam Medicinam confessus est, commendandum erit, cum per divulgationem talem, facillè Ægrotus infamiæ notam incurrere possit. *Gutierrez. Can. Qu. L. 1. c. 11. n. 58. Magn. D. Stryck in Diff. de Credentiæ Revelatione c. 2. n. 47. Fritsch. tr. 6. Peccat. Medic. concl. 22.* Quod silentium etiam in Obstetricibus rectè exigit *Layman. l. c. Anton. Laxar. Can. Qu. de monitor. Sect. 2. Qu. 16. n. 3.* Si itaque de hac Medici taciturnitate constet, nec metus sit evulgationis justus, contractus Ægroti cum Medico pro licitô declarandus erit, cessante metus causâ, Exemplo Advocati ac Confessionarii, qui etiam ad secreta à Cliente sibi commissa servanda tenentur. *Newizan in Sylvio Nupt. L. 3. n. 47. Layman. in Theol. Moral. tom. 1. L. 3. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 1. Mol. de J. & J. tr. 4. Disp. 3.* Si itaque evulgandi causa non adsit justa, ex mera evulgationis incertæ suspitione contractus inter Advocatum & Clientem initus revocari nullô jure potest. *Gail. L. 1. Obs. 44. n. 2. Carpæ. p. 1. Const. 1. def. 24. n. 4.*



exceptâ quotâ litis, quæ ex aliâ causâ improbat, *Carpz. d. l. n. 3.* Idem de contractu Confitentis cum Confessionario initò sentien- dum erit, cum eodem hic in hoc casu æstimentur jure Advocatus & Confessionarius, *Neurzan. de Sylv. Nupt. L. 3. n. 47. D. Stryck. d. Diss. c. 2. th. 24.* Secus ita decidendum erit, si de garrulitate Medici constet. Sic enim quis metu, ne is evulget secreta, in omnem contractum consentire coactus videtur, cum vita & fama pari passu ambulent, *Grot. d. J. B. & P. L. 2. c. 17. th. 2.*

§. 10. Succedit jam *Scientia & Experientia Medici*, quæ non impedit, quin potius promovet contractum illius cum Ægrotò celebrandum. Consistit verò illa in *cognitione morbi & curâ eidem rectè applicanda.* *Paul. Zachias. In qu. Med. Leg. L. 6. tit. 1. qu. 11. n. 1.* quæ si rectè expediuntur, Medicum non tam beneficiis Juris communis privari, quam cumulari debere statuendum erit, ex rationibus (1) quod benè merentibus dignitates & præmia, multò magis beneficia juris communis sint conferenda *l. 4. C. de Stat. & imag. & arg. l. 13. ff. de Off. Præs. (2) quod scientia hæc tanquàm Reipubl. utilis publicò istius judicò sit recepta, l. 1. ff. de Decret. in Ord. fac. Gl. in c. 2. Clem. de Magistr. & ne aliqui exig. Berlich. P. 1. Concl. 55. n. 94. Matth. Steph. de Jurisd. p. 2. c. 14. n. 47.* Non obstantibus rationibus contra Medicorum necessitates, quas refutatas vid. *in Sperdelii Speculo ad vocem Artzt p. 75. & Besold. in Thes. Pract. & in addit. ad eand. voc.* Huc referendi Medici legitimè à Facultate examinati & ob Doctrinæ Excellentiam approbati, ac publicè renunciati, *l. 7. C. de Profess. & Med. Alex. ad l. 15. n. 10. & seq. ff. & Vulg. & Pupill. Subst. Guid. Papa. Dec. 68. n. 3. Coler. Proc. Exec. p. 2. c. 3. n. 135.* Item illi, quos Princeps ad curam corporis sui eligit, quique Archiatri nominantur, etiamsi Medici non sint promoti *l. ult. C. de Profess. & Med. Guid. Papa Decis. 387. n. 388.* & his æquiparandos esse duximus Physicos Civitatis. Recipi quoque possunt in hunc numerum à Comitibus Palatinis in præsentia duorum vel trium testium Doctorum ejus facultati examinati, *Trentl. Diss. 1. Thes. 7. litt. A. vol. 1. Arum. Disc. ad Aur. Bull. c. 5. conf. pluribus Muhl.*

fohrt

folrt de Morbô & Curâ Ægrotorum. c. 8. Thef. 4. Imò etiam qui sub celebri aliquo Archiatro artem hanc exercuerunt & Testimonio ab illo legitimè dimissi, *Perez. ad tit. C. de Profess. & Med. n. 21.* Quos imitantur hic Gedani Chirurghi à Prudentissimis Civitatis istius Physicis examinati, & cum Testimonio eorum dimissi.

§. 11. Indigni itaque & imperiti Medici hic intelligendi erunt, quibus beneficia juris communis auferenda, cum à Parte suâ Contractum implere non possint, (1) quod culpæ imperitia hæc adnumeratur, *Cothman. L. 1. Conf. 1. n. 318.* sicut in qualibet aliâ arte, *Barbosa Locuplet l. 9. c. 16. ax. 1. Menoch. L. 2. Arbitr. Qu. qu. 531.* (2) nec is propriè Medicus dicendus est, qui imperitus est, *Farinac. Crimin. qu. 120. n. 76.* (3) Quod tales Medicastri nunquàm publicæ facultatis, Civitatis vel Principis iudicio tanquàm Medici recepti sint, *Jacob. Fabr. tr. de Aliment. fol. 85. Speidel. ad V. Arkt. p. 78.* Ob quas causas hoc Medicorum Genus non tantum non contrahere cum Ægrotò de Medicamentis, sed nec eadem gratis salvâ conscientia præbere posse autumamus.

§. 12. Scientiam itaque nullum contractibus cum Ægrotò ineundis posuisse obstaculum advertimus. Sed jam de iis, quæ scientiam comitari solent, moveri poterunt dubia, *h. e. de Simulatione Medici licitâ & illicitâ.* Licita Medicorum Simulatio Prudentia potiùs dicenda erit, utpote quæ sine læsione Ægroti optimum intendit finem, *Grot. d. J. B. & P. L. 3. c. 1. th. 15. n. 1.* Et hoc sensu accipienda est *Maximi Tyrii* sententia. καὶ ἰατροὺς νοσῶντα ἐξαπατᾷ καὶ στρατηγὸς στρατόπεδον, καὶ κυβερνήτης ναύτας, καὶ δεινὸν οὐδέν. Et Medicus Ægrotum & Imperator exercitum & Gubernator nautas decipit, nec quiquam in hoc mali est. *Conf. Meibom. ad Jusj. Hippoc. c. 22.* Deceptionis verò Voce hic utimur in defectu melioris expressionis, eandemque eodem sensu accipimus, quo in jure Dolus bonus audit *l. 1. §. 3. ff. d. Dolo.* *Tiraqu. de Retrah. §. pref. n. 70. Hilliger in Donell. l. 15. c. 40. liti. c. h. e.* ut *Zenophon* ait, Φίλους δίκαιον ἀξαπατᾶν ἐπὶ τῷ ἀγαθῷ, Amicos decipere licet ipsorum bono. Nec enim invol-

vit

vit vitium ista deceptio, cum sit extra læsionem tertii, quò casu tunc Moralium Ddres concedunt propositi nostri partem talem prodere, ex quâ alter aliud colligat, quàm reverà totò nostrò propositò continetur. *Excell. Dn. Beckm. Lin. Doctr. Moral. c. 3. th. 3.* Talem itaque simulationem cum nec Juri Divino, *Luce 24. v. 28. Jerem. c. 38.* nec Canonico. *Caus. 22. Qu. 2. Can. 14.* nec Civili, *l. 16. §. 4. ff. de Minor.* adversam esse videamus, cur eandem Medico concedere, piaculum foret? Quinimò maxime huic commendanda est ars simulandi, cum negotium sit ipsi cum illis, qui in statu præternaturali positi externarum rationum externâ moventur specie h. e. qui media ad finem necessaria, si ipsorum sensibus adversa sint, tanquam noxia sibi averfantur; Eaque quæ sensibus arrident, sanitati interim contraria appetunt, adeoque tunc Vulgi ratione ducuntur. Turbamentis itaque Vulgi s. ut dictum, externarum rerum specie rectè circumduci posse & debere id hominum Genus, docuit in aliâ materiâ *c. D. Beckman. in diff. de Turbamentis Vulgi.* Ingeniosæ itaque istius fraudis Medicæ exempla sunt, si sæpè amara Medicamenta pro dulcibus, fortia pro remissioribus, à Medicis contra intentionem & voluntatem Ægrotantium venditentur, sæpè consensus per somnum promotum excludatur, ut eò facilius finem obtineat Medicus præcipuè in durioribus remediis, ad quæ vigilans maxime exhorresceret. Aliud Exemplum memorabile fallaciæ febricitanti structæ à Medicis allegat *Rittershus. ad l. 23. ff. de R. J. p. 18.* In Curandis morbis Melancholicis, quid valeat prudentia Medici, notavit *Schenckius Friburg. in Observ. circa curandos Melanchol. morbos.* Reliqua Exempla Prudentiæ Medicorum relicta sunt, cum Intentionis nostræ ratio justitiam doli istius boni adverterit, quàm etiam olim jam *Chrysostomus L. 1. de Sacerdot.* dignis deprecavit encomiis. *Subsistet itaque Contractus inter Medicum & Ægrotum* de sanitate hujus promovendâ & solariò ipsi conferendò, licet media præter & contrà Intentionem Ægroti simulando Medicus applicuerit. Nec opponi potest Medico, hunc à partè suâ, media intervertendo, non implevisse contractum. Repelli enim potest Ægrotus Exceptione, *Tua non interest.*

ereft. Sufficit sanitatem Ægroti promoviffe, quibus verò remediis id factum fit, ipfius non interit.

§. 13. Simulationem itaque illicitam in noftris Legibus vetitam eſſe docent Jcti, quando nimirum Medicus avaritiâ ductus, morbum levem aliàs, tanquam intenſum & periculi plenum venditat, eumquè in longum tempus protrahit, ut hac ratione majus ſibi conſtituat honorarium, facultates interim Ægroti hominis emungendo. Adeoquè meritò Judicis arbitriò punienda venit hæc Medici procacitas, per verba, *incivile c. l. 3. ff. de variis & extraord. cogn. Friſch. d. ir. concl. 14.* Imò dabitur contra ipſam actio doli ob machinationem iſtam in deceptionem Ægroti factam, *arg. l. 1. ff. de dol. Dn. Brunn. in Comm. ff. ad h. l.* Item conditio ſine cauſâ, *arg. l. 1. & 1. 1. C. de condition. ſine cauſ. conf. Menoch. in Princ. Reſp. Cauſæ Finarie n. 35. Pinell. ad l. 2. C. de Reſe. Vend. l. 2. p. 2. n. 32. Bach. ad Trentl. Diſp. 6. th. 7.* adeò ut etiam non tantùm pecunia jam data, ſed etiam omne intereſſe & damnum reſtituendum ſit, *arg. l. 9. §. 1. ff. ad l. Aquil. Conſt. Crim. art. 134. Specul. rubr. de Magiſtr. n. 3. Mühlſort in Diſſ. cit. c. 8. th. 8.* Cæterùm ſimulatio hæc Medici in proprium commodum occaſionem præbuit Jctis examinandi *mendacia Medicorum in proprium lucellum. Zahn de mendaciis l. 1. c. 18.* Nos id certò reſpectu admittimus *v. c.* Si fortè Medico cum Ægrotò avarò & tenace res ſit, ita ut tunc morbi periculum verbis aggravare, Medicamentorumquè ſuorum vim ſuprà modum laudare poſſit. Conſequitur enim hac ratione, ſeu *per rationem ſtatus obliquam* præmi-um laboris ſui, quod aliàs, rectâ referendi viâ utens conſecuturus nunquam fuiſſet, cum avaritia ob metum ſumptuum & Morbi & Medicinæ contemptum producat, quâ de re *Historia morituri Avari explicetur in Emblemate Avari tr. Gomberville dan ſes morales.* Et hoc ſenſu circumventionem admitti poſſe ſtatuiſſimus, *arg. l. 16. §. 4. ff. de Minor. 25. Ann.*

§. 14. Ad ſimulationis illicitæ materiam pertinet, ſi Medicus Morbum extenuet, & non obſtantibus morbi & periculi præſagiis eandem Ægrotò celet. Peccare tunc Medicum mortaliter docet *Dn. Friſch. l. 6. Concl. 2.* ideò quod hac ratione Spiritualem Ani-

C

mæ cu-

mae curam ipsi tacite adimat *conf. D. Brunn. in Comment. C. ad l. 9. n. ult. de Profess. & Medic. quæ non minus illi ac Sacerdoti curæ esse debet, Frisch. l. c. Concl. 1. Dn. Brunn. de J. Eccles. L. 1. c. 6. Membr. 7. n. 10.*

§. 15. Hactenus an Medicus ad Contractum admitti possit in Quæstionem venit, jam quæritur, *an etiam ad eundem cogi possit h. e. an vocatus ab Aegro eundem necessario curare teneatur.* Rectè id affirmat *Ripa tr. cit. cap. de Remed. ad Curand. Pest. n. 89. (1) quod ipsorum officium à Deo destinatum sit ad ferendam infirmis opem, Syrac. cit. l. (2) quod ideò in Rempubl. admissi sint, ut infirmis in eâ medelam præbeant.* Interest enim Reipubl. liberam à morbis esse, ut hinc quasi ad publicum officium cogi possint Medici, *arg. l. 1. ff. de Vacat. & Excus. mun.* Hinc mortem languentibus infligere videtur, qui cum possit, eam non excludit, *arg. l. necare. 4. ff. de Alim. & Dist. 83. pr. & Dist. 86. c. pasce.* Nec Personarum Respectus hic attendi debet in Aegrotis, *Roder. à Castro de Med. Pol. L. 3. c. 15. P. Zach. Qu. Med. Leg. L. 6. tit. 1. Qu. 6. n. 9.* Præsertim verò hæc Decisio locum obtinebit in iis, qui publicò salariò adstricti sunt loco. Et his nec tempore Pestis, aut in casu periculosi morbi conceditur recedere, *P. Zach. L. 6. s. 1. Qu. 6. n. 4. Besold. tr. de Vitâ & Mort. L. 2. c. 2. n. 3. Benz. tr. de Fugit. propter Pestem. Qu. 1. L. 1. Concl. 6. Frisch. l. c. Concl. 8.*

§. 16. Perspectis itaque impedimentis, quæ vel impediunt, vel impedire videbantur contractum Medici cum Aegrotò. Jam *partes Aegroti* examinemus, quæ ex istius parte impedimenta adesse possint, quæque falsò allegantur. *Aegrotum* hic in sensu juridicò, Medicæ tamen expressioni convenientissimò intelligimus *eum, qui in statu præternaturali positus est. l. 1. §. 7. ff. de Edil. Edict. Thom. Act. tract. de infirm. P. 1. c. 11. n. 6.* Ad Valorem vero contractus explicandum Aegritudo Animi in primis ab Aegritudine Corporis separanda est, *l. 1. §. 9. 10. & l. ult. pr. ff. de Edil. Edict.* Ita scilicet Materia nostra Decisionem sortietur, *ex l. 27. C. de Trans. act. Sanum Mente, licet Aegrotum Corpore rectè transigere, nec justum esse placita rescindi Valetudinis Corporis velamentò.* Ratio consistit in con-

in consensu, quò negotium Contractus expeditur, *Dn. Bruun. in Comm. ad cit. l. C. n. ult.* Cum itaque Ægrotus Corpore, si Mente sit sanus, consensum declarare possit, nulla ratio impediet Contractum Ægroti cum quòcunque, & sic per consequens cum Medicò celebratum. Imò in extremò mortis Articulò tales contractus initi majoris sunt sanctimonix propter declaratam cum conscientia Ægroti voluntatem. *Barbos. L. 11. c. 49. Ax. 2. Ripar. de Actis in moris Artic. c. 28. & 75.* quacunque etiam ratione eam declaraverit, balbutiendo, non articulatè, modò constet de intentione, *l. 15. C. de Testam. l. 9. §. 5. ff. de Interrog. §. 9. Inst. de inutil. Stipul.* Ægritudo itaque Mentis obstabit, quò minus propter defectum consensus consistere possit Contractus talis cum quocunque & sic etiam cum Medico habitus. Tales Ægritudine mentis laborantes sunt furiosi, mente capti, *l. 1. ff. d. Curat. Furiosis dandis. Mon. de Tur. c. 28. & Donell. L. 3. c. 18.* Verum hac ratione nihil singulare in contractu Medici cum Ægrotò notari meretur? Resp. Extra illa, quæ ratione Personæ Medici hunc præ cæteris magis suspectum reddunt, quæ de re supra: reperiuntur quædam in personâ Ægroti, quæ Privilegium ipsi præ reliquis conciliant majus ad impediendum contractum. Distinguenda igitur erit *Animi Ægritudo in intensiorem & remissiorem*; circa illam non attenditur, cum quò contraxerit Ægrotus; Sive cum Medicò, sive cum aliò quocunque, & tales contractus omni destituuntur Obligatione. Remissior vero Animi Ægritudo hic tantum in contractu Ægroti cum Medicò intelligitur, qui Ægrotum ab effectu obligationis liberat. Et hoc sensu accipiuntur etiam timidi & superstitiosi *l. 1. §. 9. 10. & l. ult. pr. ff. de Adit. Ed. D. Bergerus de Privil. Ægrotor. c. 1. th. 12.* Regulariter vani timoris excusatio nulla est, *l. 184. ff. de R. J.* Istiusquè tantum timoris habetur ratio, qui in constantem cadere potest virum, *l. 6. ff. quod met. caus.* Hinc limitatione hac decisio ista adjuvatur, ut metus hic pro qualitate personæ, sexus & ætatis sit interpretandus, *l. 3. ff. ex quibus caus. major. Tiraqu. in tr. de LL. Connub. concl. 1. p. 9. n. 160. Fagnan. d. J. J. L. 1. c. 5. n. 10. Covar. de Matr. P. 2. c. 3. §. 4. n. 17. Carpz. Jur. Consist. L. 2. Dec. 29. h. e. minor metus excusat fami-*



nam quàm marem, impuberem minorennem, quàm majorennem, servum, quàm liberum, Minor quoque causa metus sufficet ad rescindendum Ægroti cum Medicò contractum, cum propter defectum investigandi in fidem Medici & propter metum non recuperandæ aliàs sanitatis suspicatur ejus perfidiam, avaritiam, garrulitatem, timet periculum amittendæ sanitatis, adeoque ad conciliandam sibi fidem & favorem Medici, in omnem consentit contractum. Hoc ita, modò aliqua causa suspicionis adsit. Nam si nulla adsit & Contractum bonâ fide Medicus inierit, hoc casu non denegandum esse Medicis, quod aliis conceditur, rectè monet *Hunnius Vol. 2. Resol. Diss. 2. P. 1. th. 3.* Nec obstat, *hac ratione nullum contractum, nec cum aliò extrâ Medicum iniri posse?* Resp. Desunt ergà alios hæ suspicandi causæ, quæ ergà Medicos notantur; Huic enim in corpus & vitam Ægroti facilior conceditur exercendi nequitiam occasio, protrahendo morbum, pejora Medicamenta præbendo, quâ de re verba *legis 3. ff. de Ext. Cogn. vide. cap. 1. §. 4.* allegata. Ab extraneò verò licet sit perfidus, avarus, hæreticus, nihil tale aut simile quidpiam metui potest, & ita liberrimam habet Ægrotus Voluntatem, an contrahere velit cum extraneo, vel non, adeo *ur. arg. l. d. 27. C. de Transact.* contractum talem liberè initum Valetudinis Corporis adversâ velamentò rescindere non possit.

§. 17. Sed jam, *quid, si Ægrotus Corporis & Mentis Aegritudinem simul, sentiendum qu.?* Obtinet hic generalis decisio, *omnem morborum simulationem, per quam læditur jus Tertii illicitam esse*, adeoque simulatorem talem tanquam Falsarium pro ratione circumstantiarum ad fustigationem, imò etiam ad ultimum supplicium damnari posse, *l. 6. §. 5. ff. de Re militari. & arg. l. 27. §. fin. ad l. Corn. de Fals.* Idem vult *Constitutio Ordinari: Crimin: Caroli Art. 112. & 113.* Die sollen an Leib und Leben/ nachdem die Fälschung viel oder wenig/ böshaffrig und schädlich geschiehet/ nach Racht der Verständigen oder sonst als im Ende dieser Ordnung vermeldet/ peinlich gestrafft werden. *Carpx in Prax. Crim: P. 2. Qu. 93. n. 21.* Non sine causâ additum fuit, *quâ jus tertii læditur.* Sæpè enim simulationes morbi concessæ sunt, & commendatæ boni majoris procurandi & majoris mali evitandi causâ, *quâ de re Diss. Neumannii de simu-*

Simulatione Morbi explicari meretur. Cæterùm quæ de injustâ mor-
bifimulatione in præjudicium dicta sunt, Exceptionem pati vi-
dentur in Medicò, qui *sibi imputet, quod non vi artis suæ morbum*
cognoscat, cum suæ professionis sit, passiones & interiora hominum
exactè dijudicare nosse, *Alex. Cons. 86. n. 15. inf. Farin. in Pr. Crim.*
P. 2. Tom. 1. L. 3. Qu. 94. n. 42. & in casu, si Ægroti morbum
simulent, Medicorum Consilium hac super re exquiritur, tanquàm
certissimum. Bart. in l. 60. ff. d. R. J. Mascard de Prob. Vol. 2. Concl.
1123. n. 1. eorumquè judiciò ob rationem scientiæ statur. Clar. in
§. homicidium n. 43. Mascard. d. l. Concl. 1037. n. 11. & infirmi-
tas ex aspectu corporis dijudicari potest arg. l. 32. pr. ff. de Minor.
Bart. in l. 60. ff. d. R. Judic. Verùm supina ignorantia non præbet ex-
cusationem, regulariter quidem verum est, nisi fortè ei præponderet
dolus, arg. l. 119. §. ult. ff. de Ædit. Edict. In Dolò itaque quis
est morbum simulans, Medicus verò in culpâ tantum, cui imperi-
tiam adnumerari suprâ docuimus. Hæc ita si planè nullus mor-
bis existat. Sed jam si revera aliquis subsit; An eundem manife-
stare teneatur Medico, interroganti de causis, aut locò morbi, de ætate
aliisque circumstantiis, ex quibus colligere possit vim morbi? Resp. Aff.
quia hæc facti sunt, quæ à Medico facillè ignorari possunt, ad Exem-
plum JureConsulti, qui ea supplere nequit, quæ sunt facti,
Scaccia. de Judiciis. L. 2. c. 7. n. 34, Nec indicia hic vel Sympto-
mata ad judicium Medici sufficiunt. eruendum, cum & hæc sæpè
fallant, & eadem sæpè ex diversis oriri morbis possint, quæ Peritis-
simorum artis querela est. Petrus Forestus de incerto & fallaci Urinarü
judicio, Hippocrates L. de Affectione rexi 36. Seidelius de Morbis incur-
abilibus. Alex. Benedict. de Medici et Ægri officio. Tenetur itaque vi con-
scientiæ manifestare Medico ad Medicamenta morbo congrua ap-
plicanda. Du. Stryck. Diff. de Revelatione Credentiæ c. 2. n. 46. Cum
verò sæpè tales causæ morbum præbuerint, quas recensere pudor
Ægroti non permittit, an has ad minimum reticere possit? Resp.
Negando, cujus decisionis rationes allegatas vid. §. 9. hoc. cap.

§. 18. Affine quid huic quæstioni subjungi meretur, *an in-*
primis femine possint rebus medendi in partibus secretioribus admittere?
Satisfecit jam huic *Qu. Excell. Du. Beckm. pro Affirm. decidendo, ex*

eò, quod nihil impudici admittant, cum formale impuditiæ desit. Si verò non admittant, in exsuperantiam virtutis id ipsis vertendū esse, ab Exemplis Nobilissimarum faminarum notat. *Sic Maria Maximiliani I. Imper. Augusta cum inter venandum equò excussa esset, maluit mori, quàm eâ parte à Chirurgis tractari, quæ læsa erat.* Et Sereniss. Electoris Brandenburgici Joachimi II. Conjux Regia Hedwigis Polona, cum Grimniti in conclavi superiori *Domus Antiquæ*, uti vocabatur, cum Electore coambulet, per tabulata ruinosâ delapsa, cum in mediò casu per ramos cervinos subtus pendentes gravissimè læsa esset, & Medicorum cura sanitati pristinæ restitui posse videretur, illos tamen adhibere præ pudore noluit, sed baculo ætatem fulciri maluit, quàm manibus Chirurgorum ad sanitatem perfectiorem contrectari, *Beckm. Moral. p. 240.* Omnia verò hæc notæ sunt celsitudinis animi, nec vulgaris aut humani ingenii; Quorsum referendum, quod quædam fraudum etiam naturaliter concessarum genera à nonnullis hominibus repudiata sint, non ob justitiæ opinionem, sed ob eximiam animi celsitudinem *Gros. de J. B. & P. L. 3. c. 1. th. 20. n. 1.* Ideò Alexander furari volebat victoriam *n. 3. & c.* Inprimis verò hæc celsitudo animi Christianismum spirat, utpote, qui totus in Exsuperantiâ virtutis consistit. *Matth. 5. v. 46, 47, 48. & Luc. 21.* Quod tamen cum granò salis intelligendum, *ut sc. affectatio quædam accedat*, quæ illicò hunc actum vitiat, quam limitationem in parili casu allegat, *Besold. ad l. 3. ff. de J. & J. n. 2.* Sufficiunt jam hæc pro demonstrandâ Contractuum inter Ægrotum & Medicum initorum legitimatione, ratione Personarum. Jam ad considerationem circâ res ipsas nos accingimus.

CAPUT III.
DE REBUS, QUÆ IN CONTRACTU MEDICI CUM ÆGRO-
TO INTERVENIUNT.

§. 1. Res hic sunt à Parte Medici medicamenta præstanda & à Parte Ægroti salarium conferendum. §. 2. Medicamen-

dicamenta verò debent esse *honestæ*, non primò *directè* in Opprobrium Dei tendere; An *incantationes* Jure Civili concessæ? §. 3. Nec etiam *indirectè*, quod fit in rebus, quarum ratio reddi nequit: Obstant *Tactus Regii*, quorum ratio reddi non posse videtur. An per modum piæ fraudis rebus indifferentibus uti possint Medici? §. 4. An sanitatis causa *amplexum venereum* svadere? Negatur, nisi conjugibus. §. 5. An *Virginitatem* dissuadere? Aff. Quid si votum Virginitatis præcesserit conservandæ, & quidem juramentò confirmatum. §. 6. Quæ pæna Medicorum illicita medicamenta svadentium? §. 7. Alterum medicamentorum requisitum est, ut sint *certa, proficua & Ægrotò convenientia*. Si incerta noxia & adversa fuerint, contractus in suspicionem illicitè gesti incidit. §. 8. Ab Ægroti personâ *salarium* est præstandum. Quid si sit pauper. §. 9. Quomodo salarii justitia examinanda, variis casibus explicatur, §. 10. Extra salarium de aliâ re extraneâ contrahere an liceat Medico cum Ægrotò? Aff. cum cautione. §. 11. An de Matrimoniò contrahere licet Medico cum Ægrotâ: variis casibus illustratur.

§. 1.

Res, quæ in contractu Medici cum Ægrotò interveniunt, à parte Medici sunt *Medicamenta Ægrotò Præstanda*; & ab istius parte *salarium* illi conferendum. Jam utraq; expendamus, quænam contractum nostrum pro justò declarent, quænam pro injustò. Medicamentorū vero requisita prius expendamus, eruntq; hæc, ut sint (1) *honestæ* (2) *naturâ suâ proficua & morbo curando apta, ac Ægrotò convenientia*.

§. 2. *Honestæ* requirimus sc. ea, quæ LL. & bonis moribus adversa non sunt. Quæ enim contrâ bonos mores statuta, admitti nequeunt. Talia verò sunt, quæ vel *directè* vel *indirectè* in ignomi-

ignominiam divinam tendunt. *Directè* expediuntur per *invocatio-*
nes Diabolicas, ut auxilium ipsis feratur. Et pena erit capitis,
Berlich. P. 4. concl. 5. n. 71. Caprov. Pr. Crim. P. 1. C. 50. n. 48. item
 per *incantationes*, per *carmina*, *caracteres*, per *sententias*, per *ima-*
gines, *Magicas solutiones*, & id genus alia; & hæc medicamento-
 rum genera planè omnibus Juribus sunt illicita. *Juris divini* pro-
 hibitio extat *Deut. 18. Esai. 47. 12. & 11 Paralip 33.* propter ratio-
 nem taciti pacti, quod cum Diabolò hac ratione intervenit, *jure Ca-*
non. c. illud. pr. Caus. 26. qu. 2. per totum can. 3. c. 26. qu. 5. Non
 liceat Christianis tenere *traditiones Gentilium*, & observare, vel colere ele-
 menta aut lune, aut stellarum cursus, aut *ivanem signorum fallaciam*
 pro domo faciendâ, aut propter segetes vel arbores plantandas vel con-
 jugia socianda. Omnia enim quæ facitis, aut in verbò, aut in
 opere &c. Nec in *Collectionibus herbarum*, quæ *Medicinales sunt*,
 aliquas *observationes* aut *incantationes* attendere, nisi tantum *cursu*
Symbolò aut *Dominicâ Oratione*; ut tantum *Creator omnium sc. Deus*
 honoretur, *Balib. Sibylla Peregrin quest. Decad. 3. c. 9. qu. 8.* Ju-
 re Civili extat textus in *l. 1. §. 3. ff. de Extraord. Cognit. Medicos*
fortassis quis accipiet etiam eos, qui alienjus partis Corporis vel ceris
doloris sanitatem pollicentur, utpote, si auricularius, si fistula vel
dentium, non tamen si incantavit, si imprecatus est &c. Idem quoq;
 in praxi observari docet *Sigismundus Wu. Conf. Crim. 1. n. 12.* *Dan*
die Lehr und Kunst/oder Arseney/die einer von dem Teuffel hat/und
dieselbige zu Hülf des Menschen brauchet/ nichts anders/ dann ei-
ne Zauberey und Betrug ist/ ja auch eine öffentliche Kezerey und
daß Laster beleidigter Göttlicher Majestät auff sich trägt / in dem
der Mensch Zuwiederbringung dem Krancken seiner Gesundheit/
nicht Natürlich und von Gott verordnete Mittel oder Kräuter
brauchet / und also die Mittel und Hülf des gesund machens
nicht Gott/ sondern dem Teuffel zueignet/ in dem er solche von ihm
annimbt und eine Gemeinschaft oder Verbündniß mit demselben
hat. Conf. Balduin: de Cas. Conf. L. 3. c. 11. 1010 Non obst: l. 4. §.
1. C. de Malef. & Mathem in quâ boni alicujus consequendâ
 causa ob sanitatem fortè, vel propter ubertatem fructuum *Ma-*
gicarum artium conceditur usus. Sanè nimium quantum hic in-
 vehun-

vehuntur Ddres in hanc constitutionem Imperatoriam, Imperatore Christiano indignam; ideoque per *Nov. Leon 65.* refutatam & Jure Canon: variis textibus, *in d. c. 26. qu. 5.* reprobata. *Bach. ad Trontl. Vol 2. disp. 32. rh. 7. lit. C.* Hinc decisionem istam, utpote quæ paganismum sapit, è foro Christiano eliminandam esse docent *Perez. ad C. 1. de Malef. & Math. n. 4. Thom. 22. qu. 96. art. 2. Cnjac. L. 27. Obs. 17. Carpz. P. 4. Const. 2. D. 7.* Verum aliò sensu textus *d. l. 4.* est accipiendus, nimirum non de Incantamentis, sed de Lustrationibus agrorum, quæ publicè decantatis Litanis aut solemnibus processionibus expediebantur *Nov. 123. c. 32.* Quæ solennitas per se nihil vitii implicat. *Conf. Dn. Brunn. in Comment. Cod. ad. d. l. 4.* Cæterum meretur hic addi, quod inversò ordine *Ulpianus in l. 1. §. 3. ff. de Extr. Cogn. à Jctis* laudetur, Imperator verò *in d. l. 4.* infamiae notam incurrat. Exorcismum tanquam Genus imposturæ *in l. 1. §. 3. ad sanandos morbos* improbat *Ulpianus*, quò ipsò ille tanquam Gentilis illudit Christianorum consuetudini, qui exorcismò licitò dæmonem, imò etiam morbos ab illò derivatos fugare solebant. Id quod ingeniosè ex *Tertuliano, Augustino aliisque* deducit *Gorofred. in nos. ad. d. l. lit. K.* De tali verò exorcismo licitò, aut de tali incantatione, verbo Divino intentata, intelligenda erit *l. 4. C. de Malef.* Huc trahendum, quod *Sibylla* incantationem serpentum, vel quorumcunque animalium illicitam non esse defendat, si respectus solus habeatur ad verba sacra & ad virtutem Divinam; Quanquam idem illis multum inesse fraudis addat, ideò quod serpens primum instrumentum Dæmonis fuerit ad decipiendum hominem, *Peregr. quæst. Decad. 3. c. 9. qu. 11.* Nec planè rejicienda est primorum seculorum Consuetudo, quâ ad imitationem Aquæ Amaræ *Num. 5. v. 12. 13. 14. 15. &c.* ad explorandum veritatis judicium, in usu erant provocationes veritatis ad judicium Ferri candentis, ignitorum Vomerum, Chirothecarum, Tunicæ ceratæ, Crucis evindicandæ. De quibus judicium *Spelmanni* tale existit: *Quis enim credat aut ferrum candens, aut aquam bullientem, citrà miraculum non asturam. Et jam si digitù Dei regebantur istæ probationes, cur aliquando abolitæ sunt, sin minus, cur usque adeò in Ecclesiâ toleratæ?* Quan-

D

quàm



quam & hic sæpè fraudulosum quid subfuisse doceat, *Exc D. Becm. in tr. de Judicis Dei c. 6. §. 1. & sequ.* De veris itaque & illicitis Incantationibus Medicinam ingredientibus nobis hic sermo est, quæque directè in ignominiam Divinam tendunt.

§. 3. His subordinari merentur medicamenta, quæ indirectè in ignominiam Dei tendunt, seu quæ contrà rationem & contrà bonos mores applicantur. Contra rationem Medicamenta dicantur illa, quorum nulla naturalis ac manifesta ratio reddi potest, & tantùm ad occultarum qualitarum (quas *Afylum ignorantia verè, quisquis sit, dixit*) provocatur iudicium, *Besold. in tr. de vitâ & Morie fol. 71.* Non movebimus hic quæstionem de Amuletis, deq; Magneticâ vulnerum Curatione, quàm suam jam fecit *Besold. d. l. eandem sine ratione constantem rejiciens.* Rectius huc trahendæ erunt, suspensiones è collò, alligationes linteorum ad loca suppliciorum, observaciones numerorum, literarum, quibus nullam inesse rationem docuit *Besold. Thes. Pract. ad v. Art. p. 51.* ubi citatos longò ordine exhibet hac de Materiâ tractantes *Ddres.* Caterum favere nonnihil videtur huic Curationis generi *Tactus Agrotorum à Regibus Gallia & Anglia* cum appensione ad collum vel erogatione certi nummi aurei, quem certè felix sæpè medela insequitur, de quibus vid. integri tract. ut *Andr. Laurent. de Curat. Strumar. Nicol. Arnoldi diff. de eadem mar. Canarza de parva natura p. 707. Fulgos. L. 1. c. 6. p. 151. 152. It. Oratio de Regum Nostri temporis donò sanandi strumas, habita ab Henricò Schultetò Ol. Sil. Med. Stud. Francof. ad Oderam d. 9. Jul. Anno 1667. Disp. Georg. Morhovi, cit. tit. Princeps Medicus.* Ratione tamen suâ naturali hæc cura non destituitur. Cum enim Vulgo inprimis Divinum quid in Principe concipienti hæc indulgetur cura, Homines isti, dum Clementiam Principis æstimant, dum admirantur communionem cum Rege, indulgent imaginationi, cientur ad præsentiam Domini Spiritus, & recreantur occultâ quadam transmissione. Hinc ex eadem ratione aurum appenditur, & nummus erogatur, ut imaginationem instauret ac renovet. *cit. Orat. circa fin.* Ita est sed, cum dispar sit Regum à Medicis conditio, dispar quoque esse videtur concludendi ratio.

Inte-

Interim tamen, si cum ordinariâ, quam Medici impendunt, curâ, simul adjungatur, *turbamentum tale vulgi*, cui nihil inest sortilegii, quodque nec moralem turpitudinem, nec necessitatem inducit, nec morbo curando, nec promovendo conducit, sed tantum excitandæ fiduciæ, excitandis spiritibus confert, rectè quoque illud adhiberi posse sentimus. Quorsum referendæ appensiones lapillorum, animalculorum, Carbonum &c. Quæ per se indifferentes sunt actus, adeoque ad bonum finem sine læsione conscientiæ applicari possunt. Conf. *Grot. L. 1. c. 2. th. 1. n. 3. Beckm. in Lin. Doctr. Mor. c. 13. th. 5.*

§. 4. Ad medicamenta, quæ contrâ bonos mores tentantur, referuntur, si Medicus *Amplexum Venericum aut pollutionem* suadeat. Hic enim actus nullô modô licitus est, quia in mala moralia nulla libertas nobis relicta *c. 13. X. de Penit. & Remiss. Viv. Decis. 323. n.* Consistit enim Honestum in puncto, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas, *Grot. L. 1. c. 2. th. 1. n. 3.* Hinc peccavit *Aurelius Hispanorum Rex*, quod aliquot virgines quotannis stupro dandas à Mauris pactus sit, quâ de re *v. Marian. L. 7.* Peccaverunt ipsi Mauri, quod instrumenta fuerint activa Regii sceleris, consentiendo in illud; Tùm nec reverâ ab ipsis tradi potuerunt, cum actus stupri extrâ potestatem Reipubl. positus sit, adeoque casibus Necesitatis non comprehensus, *Beckm. in Lin. Doctr. Moral. c. 9. th. 11.* Non verò huc trahendum, *se Conjugibus tale quid concedatur*; Nam & extrâ primarium conjugii finem, procreationem sc. sobolis, conceditur concubitus alterius boni externi consequendi gratiâ *1. ad Corinth. 7. v. 2. Du. Stryck. Tr. de Jure Sensuum. Diss. 7. c. 5. n. 21. 22. 23. P. Zachias L. 6. tit. 1. qu. 11. n. 1.* quanquam contrarium velit *Brunell. ir. de Spons. & Matrim. concl. 8. n. 12. ex hypothesis ceriè Labbadistarum*, qui secundarium Matrimonii finem excludunt.

§. 5. Nec peccat etiam Medicus *ad recuperandam sanitatem Virgini dissuadendo Virginitatem*, sc. ut licitô modô Matrimonium contrahat, & per ejusdem sensum sanitati suæ consulat. Nam licet Coelibatus sit exsuperantia quædam Virtutis, repugnat tamen plerorumq; hominum naturæ, nec sine incommodis cor-



poris, imò animæ retineri potest. *Matrimonium* inquit *Chrystom.* *Homil. 21. in Genal. non solum nihil nobis obstat ad Philosophandum de DEO, si voluerimus esse sobrii, sed & magis adjuvat meditates: Comprimis enim insanam naturæ impetum, nec turbari sinit quasi mare, sed efficit, ut scapha feliciter ad portum appellat, & ideò DEUS consolationem hanc tribuit humano generi.* Adde quod matrimonium non tantùm inter res indifferentes, sed etiam DEO maximè placentes referatur, *Genes. 2. conf. Taylor. Duct: Dubi: L. 3. c. 4. n. 20.* Sed jam, quid si votum conservandæ virginittis accesserit, an ad recuperationem sanitatis rectè illud relaxari possit. *Resp. Aff. (1.)* quia necessitas Voti cessat, si aliquid emerit, quod non fuit præcognitum. *Thom. c. 2. qu. 89. Comital. Resp. Mor. L. 2. qu. 6. (2)* Libertas Christiana semper permittit vota in melius verti, cum eorum finis sit res bona, quæ non superatur per meliorem; ita *Apost. 1. ad Corinth. 11. quamvis liber sim ab omnibus, omnibus me ipsum servum feci, ut plures lucrifacerem.* Si itaq; alterius boni promovendi causâ conceditur libertas hæc Christiana, quantò magis concedenda erit boni proprii causâ, præsertim in *conservatione Vitæ*, quæ omnium bonorum temporalium & æternarum fundamentum rectè dicitur *Grotio L. 2. c. 24. th. 6. L. 2. c. 5. & L. 3. c. 14. th. 2. n. 2.* In melius verò mutatur, si Matrimonio tanquam re licitâ electâ, pauperibus stipendia & elemosynæ erogentur, aliq; pii actus exercentur. *Axor. Inst. Moral. L. 2. c. 10. Less. d. J. & J. P. 2. c. 42. th. 7. n. 2.* Etiam si iuramentum accesserit. Iuramentum enim impeditivum boni majoris non est obligatorium, quia profectum in bono majorem impedit, *Grot. L. 2. c. 13. th. 7. n. 2.* Eodem sensu accipiendum est, si *Medicus Voti jejunium dissuadeat*, videns illud corporis sanitati adversum esse. Ratio in causâ necessitatis consistit. *confer. Du. Beckmann. Lin. Doctr. moral. c. 14. th. 10.* Imò tunc cibus erit non tam instar nutrimenti, quam medicamenti, *Baldvin. in Cas. consc. circa jejun. L. 2. c. 14. Ludov. Dumie. Cas. Consc. c. 10. Sect. 1. qu. 58. p. 297.* An verò largiorem porum vini usq; ad crapulam contrahendam *Agroto suadere possit Medicus*, majoris momenti videtur esse quæstio. Dubios & ambiguos hic haberemus morali-

viam

um Doctores, si illorum rationibus utendum foret, cujus rei specimen exhibet *Less. de J. & J. L. 3. c. 3. Dub. 4.* Ebrietas enim vitium morale involvit adeòq; nullò casu concedenda erit, c. 13. *X. de vit. honest. Cleric.* Verùm ex naturà Temperantiæ & Ebrietatis non videtur difficilis esse affirmativæ nostræ decisio. Temperantia enim virtus est, moderans voluptates, nutritionem nostri comitantes, s. ut *Augustini* utamur expressione: *Cibo ac potu utendum erit ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, mentis modestiâ, non amaris affectu, L. 1. de Moribus Eccl. c. 21.* Hinc Ebrietas consistit in luxurie, si potus ultra vitæ atque Officiorum necessitates ad voluptatis causam utamur. In præsentî itaq; casu formale primum Ebrietatis deficit *appetitus sc. inebriandi* voluptatis causâ, ut pote qui ut plurimum in Ægrotis cessare solet. Finis quoq; alius est, cum non ultra, sed ad vitæ necessitates largiores isti adhibeantur potus, adeòq; nihil aliud hic, quàm materiale, nullum verò peccati formale adest. Quas rationes in simili Casu adducit *C. A. Lin. Doctr. c. 15. §. 6.* Hæc tamen ita cum granò salis accipienda, ne vitium involvant, h. e. nisi aliter Ægrotò succurri possit.

§. 6. Cæterùm jam firma manebit decisio, Medicamenta hætenus explicata, quæ sc. in ignominiam Numinis Divini directè & indirectè, quæq; contra bonos mores commendantur, non posse in contractu intervenire propter prohibitionem legis, ejusq; rationis naturalis *l. 1. §. 3. ff. de Extraord. Cognition.* adeòq; contractum ipsum vitare, *arg. c. fin. X. de Cond. appell.* Præterea pænæ quoq; acerbiores decernuntur omni jure in Medicos transgressores. Si enim cura conjuncta sit cum Invocationibus Diabolicis, capitis dictatur, *Deut. 18. Berlich. P. 4. Concl. 5. n. 71. Carpz. Pr. Crim. P. 1. qu. 50. n. 45.* Si tantùm sortilegia accesserint, vel alia medicamenta illicita commendata fuerint, extraordinaria tunc obtinebit pæna, Carcer, Relegatio, imò etiam sæpè Fustigatio, *Const. Crimin. Art. 109. Coler. l. 1. Dec. 180. Conf. c. Disp. de Morbò & curâ Ægrot. c. 8. th. 7.*

§. 7. Alterum medicamentorum requiritum est, ut sint *certa, proficua, & morbo Ægrotisque convenientia. I. Certa h. e.*

ut Medicus eorum vim exploratam habeat; *Divinum enim est sanare morbum per id, quod morbum importat, inquit Drusus ad loca difficilia num. 86. Eset enim id verè per mortes experimenta facere, ut loquitur Plin. l. c. Verbo: Imperitia hæc medicamentorum Medico imputatur tanquam culpa, adeò ut extraordinaria pena pro causæ conditione & qualitate dictari possit. Schultzen L. 4. f. de L. Aquil. fol. 483. conf. hic quæ supra de Medici imperitiâ dicta sunt.* Nec è dignitate artis medicæ videtur, ut Medicus ipse medicamenta præparet, & vulnere manum applicet, cum Pharmaceutica & Chirurgia partes Medicinæ constituent. *l. 1. §. 3. ff. d. Extraord. Cogn. l. 40. d. Aurò & Argent. leg.* Ipsaque artis Medicæ cunabula à Pharmaceuticâ & Chirurgiâ trahantur *Plin. L. 29. c. 1. Buntequon in tr. weitere Fortsetzung des neuen Gebäudes &c. conf. Roder. à Castro L. 2. c. 4. Walther de Privil. Doct. c. 24. qu. 106. Besold. Thesaur. Pract. ad vocem Apotheker.* Imò certo in casu, si à Pharmacopæis præparari quid non possit, id commendatur Medicis, quod etiam ex praxi quorundam locorum apparet. *Den Medicis ist an etlichen Orten zugelassen / solche Arzney zuzubereiten / welche von den Apothekern gar nicht können gemacht werden / oder welche sonderliche köstliche oder nützliche Arcana seyn. Confer. Dominicus Bassus in Semicent. Controv. Contr. 49. n. 9. Speidel. in additam: Pract. ad Vocem Medici, p. 254.* Caterùm sæpè evenit ut Medicus propter multitudinem Praxeos inquirere non possit in singularem medicamentorum vim, sic extrà culpam erit, si Pharmacopola neglexerit quædam, modò hic publico Medicorum & Reipublicæ testimonio sit examinatus & receptus, præstitò quoque juramento Pharmacopæis solito. *Vid. Speidel. pag. 24.* Hinc quicquid à Pharmacopolâ negligitur, vel ejus ministro, hoc illi imputatur; *Consil. Altorf. 31.* Pharmacopolam itaque hic fide dignum & receptum diximus, non verò cujus fides non probata. Ad Exemplum Patrisfamilias, cui incendium à domesticis suis paratum imputatur, ideò quod non diligentiores elegerit. *l. pen. §. 1. de Off. Præf. Vigil.* Excusatur verò tunc, si omnem in inquisitione & admonendâ familiâ diligentiam adhibuerit, *Gail. Libr. 2. Obs. 21. n. 3.* Sunt verò Apothecarii, quasi
Medi-

Medicorum Ministri, seu ut loquitur, *Boërius*, Coqui, L. 2. de R. S. c. 20. *Securius* tamen agit Medicus, si ipse Apothecas intret & visuet, cautè etiam provideat ne medicina falsificetur, vel quid pro quò Ægro- ris mittatur, & conficiatur Medicina ex corruptis & vetustissimis spe- ciebus, quæ, plerumque magis nocent, quàm profunt. Hæc è Ripà de Peste c. 7. n. 46. notavit additionator *Speidel. d. l. II. Proficua* additur. Ergò non noxia s. adversa, per quæ periculum mortis intentatur, l. 3. ff. de Extraord. Cogn. adeò ut si dolosè ea submini- strans hominem necaverit, incidat in panam legis Corneliæ de sicariis, l. 1. §. Divus. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 1, C. cod. Ordin. Ca- mer. art. 134. *Damhand. in Pr. Crim. c. 47. n. 25.* Sin culpa qua- licunque, pœnam L. Aquiliæ extraordinaria sustinebit, arg. l. 44. ff. ad L. Aquil. l. 7. §. fin l. 8. pr. ff. eod. l. 6. §. 7. ff. d. Præs. l. 3. §. 1. ff. ad L. Corn. de sicar. *Speckhahn cent. 1. q. 24. Dec. conf. 9. per 101.* quia Medicus adhibere debet diligentiam secundum ar- tem suam exactissimam arg. c. 7. X. d. etate & qual. modò do- lus, negligentia, vel imperitia possit probari, *Joh. Justin Mühl- fort de Morb. & Curâ Ægrotorum c. 8. th. 11. Magnif. Dn. Stryck. Cant. Contr. f. 2. c. 8. th. 5.* Removentur etiam hic dubia Medi- camenta propter eundem metum periculi, *Condronch. de Christ. Med. Rat. L. 1. c. 6.* nisi etiam fit morbus dubius & salus despe- rata, *Sanchez de matrim. L. 9. Disp. 20. n. 7.* Extremis enim morbis, extrema adhibenda sunt remedia, *Carpz. Pr. Crim. P. 3. qu. 101. n. 14.* in delinquentibus verò faciliorem conce- dimus usum Medicamentorum Dubiorum ad explorandam vim eorum; modò id fiat consensu Magistratus, qui potestatem habet in vitam delinquentis, adeoq; Bono Publico illâ exponere potest, conf. *Everhard. Speckhahn. Cent. 1. qn. 7. Freher. L. 1. Parerg. c. 25. III. Ægroto convenientia. hoc e. ne horrida, adversa præbeat, quia hæc facilè metum incutiunt. Et hæc causa erat, cur *Aribagatus* à favitiâ secandi *Vulnerarius*, & *carnifex* postea dictus fuerit, *Plin. L. 29. c. 1.* Rectè itaq; sibi cavebit Prudentia Medici, ne eo tem- pore, quò adversa aliàs utilia Medicamenta præbet, contrahat cum Ægro, in quo levis metus suspicionem parat. *Dn. Stryck. d. l.**

§. 8. Jam quæ ab Ægrotò præstari solent Medico, videndam erit Estq; illud *salarium* seu *compensatio laboris* Medici per præmium, quæ ex generali compensandi ratione justa est, l. Sejo 10. ff. de Ann. legat. l. Conf. Glossator. ad. d. L. Gars. de Expens. c. 20. n. 13. Et præcipit (1) id *Jus Divinum*, *Honora Medicum propter necessitatem* .c. l. Syrac: Ubi nomine *honoris* non simplex cultus vel verbalis gratiarum actio, sed *alimenta* intelliguntur. Commendat (2) *naturalis ratio* per id, quod nemini officium suum *damnosum* esse debeat, præcipuè si per id magnum aliis attulerit commodum *Roder. à Castro* L. 1. c. 10. Exigunt (3) *leges Civiles*, etiamsi invitò Ægrotò *medicamenta* præbeantur *arg. l. 4. C. de hered. petition. l. 3. C. de Relig. Surdus Decis. 255. Nisi fortè Ægrotus sit pauper*, quem gratis curare debent Medici *Dn. Brunnem: ad Regulas Juris Canon. Resp. 75. n. 16.* præmiumq; à DEO exspectare, *Tiraqu. de Nobilitate. c. 29.* Ratio consistit in *cognitione naturali*, quæ ad mutuum auxilium homines provocat, l. 3. ff. de J. J. adeò ut etiam compelli possint; præsertim si officium eorum sit publicum h. e. si publico salario *Physici* constituti. Tunc enim *indistinctè* omnibus succurrere tenentur, *Benx. tr. de Fug. propter pestem. qu. 1. L. 1. concl. 6. n. 4. Besold. tr. de vitâ & morte L. 2. c. 2. n. 3.* Ideoq; *benè* constitutæ *Respubl.* eo in primis contendere tenentur, ut *Viros Medicos*, scientiâ & experienciâ munitos muneribus & honoribus ad se pertrahant, tanquam *Reipubl.* maximè utiles. *Besold. de Vitâ & Morte hominum p. 70. Conf. allegata in Speidel. addit: ad V. Medici.* Quorsum etiam trahendæ *Apothecæ* benè constitutæ, de quibus addidisse sufficet *judicium Sereniss. Electoris Brandenburgici Georg. Wilhelmi. die 12. Novemb. A. 1622. Pro Pharmaco- polis Civitatum Berlin & Cöln/ ad eorum Magistratus hisce formalibus: Unsern Gruß zuvor & G. Es bedarff keines Beweifens/ noch Ausführens/ wie hoch und wie viel einer vornehmen Commun an einer rechten bestellet und versorgten Aphoteck gelegen / damit sich ein jeder alda zuerholen haben möge / was ihm zur Fürkom- mung der sich an ihm ereigenden Leibs Schwachheiten oder aber Abwendung der albereit vorhandenen Leibs Gebrechen dienlich oder nöthig / in Gestalt es den auch auff den Gegentheil ein gang klägli-*

flätliches W. sen ist/ welches mancher auch mit seinem grossen Schaden/ auch also / das er offte über der Zeit seyn Leben einbüßsen muß/ empfindet / wenn er an solchen Orten lebet / und ist / da entweder gar keine / oder aber übelbestellte Apothecken vorhanden. Tantum.

§. 9. Extra casum jam publici salarii lis quoque nulla intercedit, si Privati mente & corpore sani annuò salariò sibi Medicos devinciant, cum consensus à sanis mente & corpore declaratus, perfectissimus sit, & ita non obstabunt, *d. l. 3. ff. de Extraord. Cognit. & l. 9. C. de Profess. & Med.* Quæ de casu Ægroti & periclitantis agunt, *Christin. S. Dec. Belg. 50. n. 12.* De Ægrotto jam movetur difficultas; *An salarium ab hoc promitti possit.* Facilem parabit decisionem consideratio rei, quæ salarium ingreditur; ac primò quidem pretium justum requiritur, *h. e. quale sanus aequè promitteret.* Et hæc est decisio ipsius Imperatoris *in d. l. 9.* verbis: *quos (sc. Medicos) etiam ea paritur accipere (ab Ægrotis sc.) quæ sani offerunt non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt,* h. e. qui si sani essent, nunquam tale quid promitterent. Consentiant *Baldus in l. 1. n. 3. C. Mandat. Magon decis. Flor. 11. n. 2. Thom. Act. P. 1. c. 49. n. 24. Hunnius in Resol. vol. 2. P. 2. Diss. 2. th. 3.* Sed in eò controversia latet, *an quantitas salarii justi decidi possit?* Negat id *Bacchovius in Not. ad Treutl. vol. I. Diss. 6. fol. 246.* ideò, quod Medici opera non sit mechanica, & sic salarium semper justum esse solet, tùm quod conditio morbi modò augere, modò minuere possit salarii æstimationem. Sed Resp. ad primam rationem; eà ratione nec Advocatis, nec Profesforibus, nec Concionatoribus determinatio salarii ad certam quantitatem licita erit, cum & eorum opera non sit Mechanica, tamen praxis nos contrariè instruat, *Gail. L. 1. Obs. 44. Carpz. p. 1. C. 31. D. 11. Menoch. L. 2. A. & Cas. 513. n. 6. Finckelthaus. Obs. 9. n. 50.* Quod conditionem morbi attinet, illam quoque ab aliis Medicis dijudicari posse certum, est cum illi sint optimi in professione suà judices, *Zach. Qu. M. L. L. 1. tit. 1. qu. 2.* Majus movet dubium, *si Medicus aliquod arcanum sciat, quod aliis Medicis incognitum, quomodo tunc justitia in petendo salario dijudicanda?* Tunc id Medici consci-

E

entia

entia relinquendum, quia ad manifestandum reliquis secretum non tenetur, cum nemo teneatur edere titulum possessionis suæ; Excepto Magistratu supremo, qui ex vi supereminentis dominii scientiam illam à Medico exigere potest. *Superior enim, rectè judicavit Grot. L. 2. c. 25. th. 3. n. 4. potest subditum cogere non tantum ad id, quod jure debetur strictè dictò, sed etiam ad alia, quæ virtus quælibet præcipit, quia in jure proprio superioris, qua superior est, hoc est comprehensum. Sicut in frumenti penuria cives cogi possunt, ut quicquid habeant, in medium proferant, justo pretio dividendum; Ita etiam Medicus ad communicationem secreti sui à Magistratu (Conf. Disp. D. M. Georg Welsch de Singularibus) justo pretio cogi potest. Justum verò pretium hic non intelligimus strictum, sed liberalius. Utilitas enim in Rempubl., adeque in ejus membra redundans, meretur compensationem extraordinariam. Conf. rationes quæ allegari solent pro concedendis monopolis earum rerum, quæ inventæ sunt in utilitatem Reipubl. Molin. de J. J. nr. 2. Def. 345. n. 3. Azor. P. 3. Inst. Moral. L. 8. c. 28. Mev. P. 3. deci. 70.*

§. 10. Hæc ita de compensatione laboris per salarium sub nomine salarii vel honorarii. Sed jam *qu. an extrà salarium concessi sunt inter Ægrotum & Medicum alii contractus?* Negant id *Fachinæus & Pinellus*, adè ut nec venditio, nec locatio subsistat, etiamsi læsio non sit ultrà dimidium. Ille *L. 2. qu. 25.* Hic, *ad l. 2. pr. c. 2. n. 33. C. d. Resc. Vend.* Ex ratione sc. metus, quod Ægrotus metu, ne offendat Medicum, in omnia consentiat. Tàm avida est homini sanitatis servandæ cura, ut ipsius Satanæ judicio, omnia quæ habet, det prò vitâ suâ; *Job. 2. v. 3. 4.* Verùm extrà bonam fidem Medici, quæ ad validum contractum sufficit, *quæ de re supra*, consideratur etiam Ægroti intentio, an si sanus esset, etiam hanc rem venditurus esset; sic licita erit venditio *arg. l. 9. C. de Prof. & Med.* Intentio verò præsumitur, si res ipsa sit venalis & promercialis, *Hunn. Resol. P. 2. Disp. 2. P. 1. th. 3. p. 143.* Hinc si læsio non fuerit ultrà dimidium, rescindi venditio nequit, cum circumventio in contractibus sit licita *l. 8. C. de Resc. Vend. & l. 16. §. 4. ff. de minor.* Præsumitur enim venditor propter

propter negligentiam consentire in circumventionem, nisi Emptor sit in dolò, qui præponderet negligentia, conf. *Dn. Kulpis de circumventionem in Contractibus licitâ, ad Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 12. n. 26.* Caterùm si venditurus non fuisset, & ita à Medicò ad contractum invitatus, in omnia Postulata consensisset, videtur hac ratione ad donationem aliquam compulsus fuisse, quæ regulariter non præsumitur. Species verò donationis est, cum quis vilioris vendit, quam reverà valet. *arg. l. 23. C. Mandat.*

§. 11. Porro, *an matrimonium ab Ægrotâ Medico promissum vel contractum servandum sit?* *qu.* Negare id videtur *Bacchov. in not. ad Tremil. Vol. 2. Diss. 14. th. 2. lit. A.* qui omne Ægrotorum matrimonium improbat, propter cessantem conjugalis affectionis finem, *spem sc. Prolis*, præsertim si morbus sit simpliciter lethalis, & nulla reconvalescentiæ spes adsit, *Arnif. de Jure Comm. c. 2. sect. 4. membr. 6.* eòque magis à Medicò tale matrimonium frustrâ ambitur, qui eventum mortis præscire potest. Verùm ut falsa est hypothesis omne hoc matrimonium tollens, modò sanæ mentis fuerit Ægrotus, cum consensus, non concubitus faciat nuptias, *l. consensus ff. de Ritu nuptiarum &.* Vitium temporale non tollat matrimonium, *l. 9. ff. de Liber. & Posth. Cavarr. de Matrim. P. 2. L. 8. §. 2. n. 3.* Ita Medico interdici tale matrimonium non potest; cum licet hic probabiliter præsumat mortem, non tamen eò ipsò excludat omnipotentiam Divinam in infirmis validam, *Albers. Gentilis ad l. 1. C. de Malef. & Mathem. in primis si nullò metu, sed concinnis moribus, affabili sermone aliisque blanditiis (mediis Medicò per se communibus) Ægrotam in amores adeòq; in matrimonium pertrahat.* Blanditiæ enim non tollunt, sed invitant & augent alterius Voluntatem *Dn. Stryck. in Diss. de Blanditiis.* Nec id matrimonium fraude contractum dicendum est. Nullam enim injuriam quis alteri irrogat, qui jure suò utitur. *Bocer. Class. 1. Diss. 10. th. 8. lit. B.* Sed quid si expressè sub conditione Contrahendi Matrimonii Medicinam porrigat: *Er wolle sie auff helfen / im fall sie ihm die Ehe versprechen wolte.* Talis contractus videtur illicitus ad Exemplum Advocati, qui de quotâ litis pacisci nequit *l. 1. §. 12. ff. d. Extraord. Cogn. Carpr.*

p. 1. C. 1. D. 24. n. 3. Gail. L. 1. Obs. 44. Verùm diversitas hic est rationis; cum major sit favor respectu recuperationis sanitatis, quæ semper justa, quàm litis victoriæ, quæ per quotam litis injustè acquisita præsumitur, *Thom. Lett. P. 1. c. 49. n. 24.* Hinc si cum intentione recuperandæ sanitatis simul concurrat Puellæ Ægrotæ Amor in Medicum, nulla ratio impediet contractum matrimonium, cum omnibus honestis mediis conciliare sibi amorem Puellæ illicitum non sit.

CAPUT IV. DE ACTIONIBUS INTER MEDICUM ET ÆGROTUM.

§. 1. Actiones inter Medicum & Ægrotum quæ? Illi datur ad consequendum curæ suæ præmium, & si nihil promissum. §. 2. Quid si promissum fuerit? Dist. inter certum & incertum. §. 3. Quando nam peti poterit salarium annuum? §. 4. Quid si Medicus ad unum morbum curandum sit vocatus? §. 5. Quid si curatio adversum eventum habuerit? §. 6. Agitur de prælationis privilegiò in actione Medici. §. 7. Quæ actio competit Medico de Contractu rei extrà salarium? §. 8. Ægrotò contrà Medicum curare nolentem, quæ actio? Quid si Ægrotus sit Pauper? §. 9. Quid si jam aliis Medicis vel Empyricis usus fuerit. §. 10. Quæ actiones contrà Medicum, qui dolosè, imperitè, incuriosè Medicamenta præbet. §. 11. An conveniri possit Medicus, ut prò conventâ mercede acceptâ recrudescentem morbum sanet. §. 12. Quò modò de Garrulitate suâ possit conveniri? §. 13. Quid si injustum salarium solutum, an datur condictio?

§. 1.

§. 1.

Ex mutuâ illâ obligatione, quâ Medicum & Ægrotum sibi invicem obstringi advertimus, mutua jam oritur actio, quâ alter alterum coram judicio ad prosequendum jus suum convenire poterit. Est verò *jus Medici in consequendo, prò cura præstita salario positum*; & certum quidem est, etiamsi nullum pactum intercesserit inter Medicum & Ægrotum, nihilominus petere poterit per implorationem Officii Judicis, qui regulariter extra ordinem cognoscit de salariis eorum, qui liberales artes docent & imprimis Medicinam exercent, *l. 1. pr. ff. de Extraord. Cognit. & Dn. Brunnem. in Comment. ad d. l. pr. Mev. p. 3. decis. 332. n. 7. Gail. L. 1. Obs. 44. Carpz. p. 1. Const. 31. def. 11.* Imò id eò extendunt Doctores, etiamsi invitò Ægrotò impemfæ in medicamenta factæ fuerint, *arg. c. 24. §. 24. qu. 4. Surdus decis. 255.*

§. 2. Si verò *salarium sit promissum*, tunc sanè rectè à Medico tale exigi potest, *l. 3. C. Loc. Cond. & c. l. 9. C. de Professores.* Est verò promissum tale vel *certum vel incertum*. Si hoc, sic actio ex stipulatu contra Ægrotum datur ut promittens *v. c. frumentum, vinum in genere & c.* certum quid in exsolutione præstet *l. 75. ff. d. V. O. conj. cum l. 52. ff. Mandati & id Officio judicis determinari poterit, ut pote ad quod semper in tali vel similibus casibus recurritur, Menoch. L. 2. A. Q. Cas. 513. n. 6. & 7. Sintelshaus obs. 98. n. 50.* Aut certum quid promissum est, sic datur conditio certi, *l. 9. & 24. ff. de Rebus Creditis.* Ad Exemplum advocati, qui etiam ratione palmarii promissi condictione certi adjuvatur. *Carpz. P. 1. C. 1. D. 24. n. 4. Gail. L. 1. Obs. 44. n. 1.*

§. 3. Sed jam *de tempore lis est, quandonam petere possit salarium suum?* Distinguitur primò, an annuum salarium sit promissum, sic initio anni debetur, *l. 1. §. 13. ff. de Extraord. cognit.* Nec obstat, artificii prò rata temporis & laboris mercedem deberi *l. per. C. de Erogat. Militum Annon.* Id tamen exceptionem patitur in Eruditis, quibus beneficium à lege concessum est ob dignita-



tatem Scientiæ, ut ab initio Anni vel temporis definiti totum ipsis debeatur salarium, quo nomine non tantum Theologis. & Jure Consultis, *Benius de Privil. Ictorum P. 1. q. 22. pr. Assessoribus, Ranchbar. P. 1. qu. 2. Gail. L. 1. Obs. 44. n. 12. Carpz. P. 2. C. 5. D. 10. & Jurispr. Eccl. L. 1. D. 171. conf. Brun. ad l. 4. ff. de Off. assessor.* Sed etiam Medicis debetur, *Zasius ad §. triplici. Inst. de Action. Caroc. de loco Cond. tit. de med. qu. 5. n. 5.* Adedq; ex naturâ istius salarii, si fortè Theologus Advocatus vel Medicus initio anni moriatur, ad heredes illud transit, ita ut si solum jam fuerit, repeti non possit, *Glossator ad Loperas ff. Locati & l. 1. §. Divus ff. & Extraord. Cognit.* Non solum verò ab heredibus etiam extraneis exigere poterit. *Glossator ad L. post. duos. C. de Advocatis divers. Judic. Decius Conf. 70. n. 1. Carpz. p. 1. Jurispr. Consist. 1. Def. ult. Benius P. 3. qu. 76.* Cæterum quod hic de Annis salariis dictum, illud etiam obtinere notat *Dn. Brunne-mam.* in illis quæ in quadrimestria spacia dividuntur, daß die Salaria alle Viertel-Jahr ausgezahlet werden/ *in Comm. ff. ad L. diem defuncto 4. ff. de Off. Assess. n. 4.*

§. 4. Quidsi verò medicus ad unum morbum curandum vocatus sit, tunc quidem finitâ demùm curâ debetur salarium, quamquam dies ipse cedat ab initio *h. e. Aegrotus* initio contractus illicò debere incipiat, *Mühlfort Diff. de Morb. & curâ Aegrot. c. 8. th. 4.* Ita tamen ut hic pro ratâ tantum temporis & laboris debeatur pars salarii, si ipse per se non extrinsecus impeditus fuerit præstare operam *Pheil. conf. 54. v. c. per negotia domestica, per mortem, quia salarium hoc expressum habet determinationem & conditionem operarum. Mev. P. 4. dec. 200. n. 3.* Generalem enim addit Regulam *d. Dn. Mev. v. 7. de omni Professione & liberali exercitiò, quod, si ex Lege & pacto non habeat certum annuum salarium, peti tunc id tantum posse, quod labori respondeat.* Secus si extrinsecus per Aegrotum impeditus fuerit, quod hic forte resignaverit illum, sic enim per illum non stat, & hac ratione debetur ipsi totum promissum ad Exemplum Advocati, *Mev. p. 3. Dec. 144.*

§. 5.

§. 5. Sed jam quæritur, si curatio adversum eventum habuerit, an Medicus nihilominus petere possit salarium? Resp. aff. modò diligentiam omnem adhibuerit, & ita per eum non steterit, quò minus cura benè expediatur. Zach. L. 6. tit. 1. q. 7. n. 26. Pheil. cens. 54. Dei enira hic simul concurrat providentiã, quæ non omnibus medicamentis tribuit effectum. Hinc sicut nemo hominum, ita nec Medicus præstabit vim fatalem seu casum mortis. l. 25. §. 6. ff. locat. l. 6. §. 7. ff. de Off. Pres. l. 9. C. de Pignor. Act. Huc trahendum illud Ovidii lib. 1. de Ponto.

Non est in medicò semper relevetur ut æger;

Interdum doctâ plus valet arte malum.

Adeòq; Medico citrà eventum opera nihilominus remuneranda est, l. 6. §. 7. ff. de O. Pras. Schulzen. l. 4. Inst. ad L. Aquil. §. sanè. Nisi expressè sub conditione recuperandæ salutis sit promissum. arg. §. 4. J. de V. O. l. 41. ff. de Condit. & Demonstr. Est enim hæc Emptio rei speratæ, adeoque conditionalis, ita ut si conditio non fuerit impleta, seu sanitas non fuerit recuperata, nihil debeatur arg. l. 8. ff. de Contrah. Emr.

§. 6. Jam de privilegiò Actionis Medici ad consequendum Salarium suum id addendum erit, eandem ad Exemplum funeratiæ Actionis privilegiatam esse Heig. P. 2. qu. 26. n. 70. adeò ut etiam Hypothecariæ præferatur, arg. l. 3. C. de Relig. & sumpt. funer. & l. 4. C. de Petit. heredit. In eò tantum dissentiunt Ddres, actio Medici Funeratiæ æquiparandane, an vero postponenda sit. Berlich P. 1. Concl. 44. n. 94. Col. L. 2. tr. d. Alim. c. 1. Richter de Privileg. Credit. Disp. 4. p. 94. Mascard. de Probat. Conclus. 805. Aliique plurimi Doctores postponendam esse ajunt; Praxi etiam pro ipsorum opinione militante. In sensu juris tamen æquiparandam esse statuit D. Brunnem in Com. adl. 3. C. de Relig. & sumpt. fun. n. 9. Cæterum nec omnes expensæ Medicorum hoc gaudebunt privilegiò, sed illæ tantum, quæ in ultimum morbum impensæ. Reliquæ in classem personaliter privilegiatorum communiter ponuntur, Heig. c. l. D. Brunn. in tr. de Processu concursus c. 5. th. 15. Ipsa verò Pharmacopolarum credita & Chirurgorum opera compensanda Medicorum salariis æquipari per
omnia

omnia demonstrarunt *Carpov. Const. 28. Defin. 43. Berlich. P. 1. Concl. 44. n. 49.*

§. 7. Restat actio ad implementum contractus de re extrâ sularium initi v. c. si de emptione venditione, locatione condictione domus vel alterius rei Medicus cum Ægrotò conveniat, salva erit illi actio Empti venditi vel locati conducti. Et hac de re indubia obtinet decisio, postquam suprà jam probatum fuerit contractus tales inter Medicum & Ægrotum initos vi constare firmâ. Ad pleniorè verò sensum faciet alleganda jam *Hunnii decisio, Vol., Diss. II. P. 1. ib. 3. p. 143.* Quid verò si justò pretiò bonâque fide Medicus ab Ægrotò rem aliquam, quam & altàs venalem habebat, & venditurus erat æger, emeret, sic ut nulla omninò extorsio iniqua illicitaque appareat? Sanè ratio nulla svadebit emptionem hanc rescindi, & iniquum & injurium foree magnæque ingravidinis argumentum, Medico rem venalem pro eodem denegari pretio, quò alii cuivis æger venditurus erat. Nec est, quod quis hic objiciat, non tamen hac ratione contractum fore liberum, quia Ægrotus in minori pretiò rem vendat Medico, quam alii venditurus erat, periculò majorum medicamentorum, quæ ipsi fortassis Medicus propinaturus & applicaturus foret. Hoc enim à Medico, nupote viro bonò, maxime propter juramentum, quò plerumque Medici ad fidem & diligentiam in curandis Ægrotis adhibendam obstringuntur, præsumi non potest nec debet. Paulò inferius. Sic enim quamvis pactum inter Clientem & Advocatum super salario vel quodâliis initum non subsistat, propter merum iniquæ extorsionis, nemo tamen statuet, quod quivis contractus alii cum Advocato iniri requeant. Sic proinde statuendum arbitror, emptionem venditionem inter Advocatum & Clientem esse licitam, nullòque jure aut ratione prohibitam.

§. 8. Ægroti jam partes lustremus, quibusnam juris beneficiis ille contra Medicum adjuvari possit. Breviter hæc per relationem ad priora capita allegari merebuntur. Ac primò demonstratum fuit, Medicum vi conscientie & officii teneri ad succurrendum Ægrotis, adeòque si Medicus succurrere nolit, Ægrotò petenti medicamenta denegans, possit ab Ægrotò vel ejus heredibus conveniri, ut præstet, quanti interfit, Ægrotum ob ejus desertio.

sertionem in mortis periculum constitutum fuisse *arg. l. 26. ff. de Oper. Libert. Alexand. Conf. 178. n. 7.* Nec obstat Ægrotum, si forte pauper sit, à sua parte non posse implere contractum per exsolutionem salarii. Resp. nihilominus Medicum teneri ad succurrendum Ægrotto pauperi demonstratum fuit suprà *ex Fritsch. in tr. de Peccat. Medic. Concl. 8.* Imò actione L. Cornelix conveniri poterit, cum mortem langventibus infigere videtur, qui, cum possit, eum non excludit *arg. pr. Dist. 83. c. Pasce, Dist. 86. Ripa de Remed. ad curand. pest. n. 89.* Videtur verò hac ratione maxima Medicis inferri injuria, cum id illis denegatur, quod omnibus ipsò jure conceditur, præmium sc. laboris *c. 15. C. XIV. qu. 5.* Resp. Medicis tunc ex publicò constitui debere compensationem Curæ, *Tiraqu. d. Nobil. c. 29. n. 44. Carpanus de Statu Mediolan. P. 2. c. 356.* Sicut enim Civitatis est, alimenta præstare pauperibus, *Pistor. L. 1. qu. 20. Ludov. à Pegverra Decis. Catal. 4. n. 11. Conf. tr. Gabrielis Alvarez de Velasco de Privilegiis Pauperum.* Ita ejusdem erit ex eodem fine medicamenta subministrare, *arg. l. 2. ff. de his, qui sine manumiss. l. 4. §. 5. ff. de bonis libert. l. un. §. 4. C. de Latin. Libert. coll. cum alimentorum appellatione etiam expensæ Medicinæ comprehendantur, Jacob Ayrer im Historischen Process. P. 1. c. 4. Obs. 1. n. 23.*

§. 9. Quid si verò Ægrotus jam aliò Medicò fuerit usus, nec tunc denegare opem suam, nec alium impedire debet, *Fritsch. de Pecc. Med. Concl. 15.* Periti enim Medici & prudentes id non impediunt, quin potius ab anniculis speciem remedii, quam audiverunt, in usum industriâ grandi traxerunt addendo quid, & demendo cum judiciò. *Drexel. in Aurifod. p. 215. Barbos. L. 2. c. 17. Axiom. 1. 2. 3.* Imò consultum esse notat *Additionator Speideli ad Voc. Medici p. 253.* ut insimul cum Senibus adjungantur Juvenes, quò stimulo senum, vel incitante gloriæ cupiditate, quam Juventus instillat, eò citius ac majori cum diligentia egri sanari queant, cum promptiores ac perspicaciores sint Doctores Juvenes tanquam ex studiorum fornace noviter educti, *c. liquido de consecrat. dist. 2. quæ perspicacitas accedente senum accuratio judiciò acutior ac ad capiendum felicitior redditur.* Nec præbet excusationem Medico, quod Ægrotus

F

jam



jam Agyrihâ vel Æmpyricô quodam usus fuerit. Nullâ enim ex causâ periclitanti homini consilium denegandum esse, etiam sceleratissimo, justè notavit *Dn. Brunnem. in Comm. ad l. 9. n. 8. C. de Profess. & Medic. L. 12.*

§. 10. Iisdem Actionibus conveniri poterit Medicus, si dolô vel culpâ hominis Ægri salutem in periculum conjecerit, adeò ut non tantùm contractus de Salarîo ex duplici fine non valeat. (1) quod à parte suâ non impleverit contractum. (2) Quod Ægrotus metu adversorum Medicamentorum contractum inierit; Verùm etiam insuper prò causâ conditione & qualitate ad panam arbitrariam à Judice determinandam trahi possit. *Schulzen c. l. L. 4. Inst. d. L. Aquil. fol. 438. Ita ut si dolo Hominem necaverit, panâ L. Cornel. de Sic. afficiendus sit l. 1. C. Ad L. Jul. de Sicar. Damhoudt in Pr. Crim. c. 47. n. 25. si culpâ, poena L. Aquiliæ extraordinaria tunc obtineat. §. 7. Inst. ad. L. Aquil. l. 44. ff. Eod. Speckhan Cent. 1. qv. 24. Decius Conf. 9. Imperitiam verò hic cum Bachovio ad pr. Inst. de obl. qvæ ex quasi delict. Incuriam autem & ignaviam, ex c. cum adst. Dist. 50. c. 32. qv. 4. adnumeramus culpæ*

§. 11. Sed jam, quid si morbus recrudescat, an potest Ægrotus Medicum convenire, ut medelam præstare teneatur prò receptâ jam Mercede conventa? Satisfecit qu. huic *Speidel. Spec. Jur. Pol. Phil. Hist. p. 76.* cujus decisionem hic subjecisse sufficiet; *Et licet inquit, videri possit, quod sic. Ægritudo enim renata, subrogata est in locum primæ. Ergò eadem intelligitur, item, quod non videatur liberatus Medicus, quia non adimplevit plenè, ac infirmus curatus non videtur, quia sanitas non duravit. Tamen in contrarium pro Medicô militat, quod sufficiat semel liberasse infirmum, arg. l. qui res S. aream ff. d. solut. item quod is non debeat in infinitum obligari, ac quod tantùm de illâ Ægritudine curam suscepisse videatur, quæ tunc apparebat, non autem de postea ei contingenti, ideoque etiam de illâ tantùm teneatur. Pileus quæst. Jur. qu. 12. Ubi pro solutione distingu. esse putat, ac vix in propositâ facti specie consideratis circumstantiis, aliter de jure respondendum erit, utrum nimirum ex iisdem humoribus instaurata sit infirmitas, an ex aliis; Si ex iisdem, teneatur Medicus, aliàs nequaquam; Vel aliter, Utrum culpâ infirmi forsitan, quia non abstinnit à conviviis, vel non, si culpa*

culpâ infirmi, non teneatur, aliâs obligetur, arg. l. quod quis ex culpâ ff. d. R. J.

§. 12. De garrulitate quoque Medici supra monuimus, eandem Viro tali indignam esse demonstrantes, adeoque si Medicus nihilominus revelet morbi causas suspicione laborantes, quæritur an rectè? Resp. Injustū est & inhumanum defectus nostros detegi *Harprecht ad §. 1. inst. de Injur. n. 89. Farin. P. 3. qu. 150. n. 24. ipseq; Medicus tanquā mendax injuriarum accusari poterit, non attentō, an culpâ morbum contraxerit l. 3. §. 3. ff. d. Injur. l. 5. & 9. C. eod. l. 34. pr. ff. de Obl. & A. Heigius P. 2. qu. 3. n. 36. Schneidev. ad Inst. d. Injur. n. 2.* Imò actione ad interesse agi potest, quanti interfit causam morbi non fuisse manifestatam, cum opinio talis gravet Ægrotum apud bonos Viros & cursum felicitatis sæpè impediat arg. l. 62. §. 1. ff. de Oper. liberr. Alex. Conf. 178. n. 6. L. 6. Quod sanè accidit, si fortè ætatem nimiam, aut morbum in partibus secretioribus revelet. Hæc enim impediunt conjugium felix alias sperandum.

§. 12. Ratione salarii injusti, si solum fuerit, denegari non poterit Ægroti repetitio per conditionem &c. *quâ de re supra actum fuit.* Aut si nondum solum petatur à Medicō, Ægrotus Exceptione, quod metus causa tutus erit, *ii. ff. quod metus causa.* De rebus verò extrâ Salarium in contractum venientibus id breviter hic repetendum; si metu sit initus adjuvante illum dolo malo Medici, posse Ægrotum agere ad rescissionem contractus, etiam si læsio non sit ultrâ dimidium, docuerunt *Fabrin. L. 2. Qu. 25. Pinell. ad. L. 2. pr. c. 2. n. 33. (. ad Resc. Vend.*

Sed de his omnibus in Prioribus monitum fuit, quorsum

benevolus Lector benignos remittet oculos.



Dat

DAt Galenus opes, dat Justinianus honores;
Divisum imperium gloria opesque tenent.
Juridicò Medicam dum tractas themate causam,
Prædico fatis augur utrumque Tuis!

*Ita Dno LAURENTI Auditori suo ob morum
& eruditionis studium commendatissimo,
Amico æstimatissimo applaudit*

J. SCHULTZ, Præses.

*Quæ Tibi sint animi pulcherrima munera, doctâ
Jam Disputatione publicè probas,
LAURENTI, Claræ non ultima portio gentis,
Cultæq; floridum juventutis decus.
Eximia haud deerunt superatis præmia curis,
Si cœpta solito prosequi perges gradu.*

Sic DN. LAURENTIO, Auditori meo ob
industriam publicè privatimque abundè
perspectam, commendatissimo
scrib.


M. JO. CHRISTOPH. ROSTEUSCHER,
Philos. Prof. Publ. & Bibliothec.

*Flis viget, ut Laurus. Laurum, Fus, utraque Laurens
Servat; Eamque Parens, Hoc dedit ipse sibi.
Usque viret Laurus. Fus inviolabile firmum.
Laus tua sic, Laurens docte, perennis erit!*


Lipsiæ d. A. Sept.

Sic Suo acclamat
C. & A. E. D.

P. L. LL. St.








ULB Halle

3


002 373 289



S. 6.

VDA 7







Schulthe. verharf. medicum aegrotu.

1,30. 4, 20 11

~~1788~~

1689, 16

CEDAT FELICITER!
DISPUTATIO JURIDICA
DE
CONTRACTU
MEDICI CUM
ÆGROTO,

Quam
Occasione
L. si medicus 3. ff. de extr. Cogn. & L. archiatri 9. C. de Prof. & Med.
FAVENTE DEO

IN INCLYTO GEDANEN. ATHENÆO,
PRÆSIDE
DN. JOHANNES SCHULTZIO,

J. U. D. EJUSDEM ET HISTOR. P. P.
UT ET DICTI ATHENÆI INSPECTORE,
FAUTORE & PRÆCEPTORE SUO
DEVENERANDO,
IN AUDITORIO MAXIMO

Horâ nonâ
Anno M. DC. LXXXIX. D. XXVII. Septemb,
Publico Eruditorum Examine sistit
MATTHIAS DANIEL LAURENS,
Treptoâ - Pomeranus.

GEDANI, Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII.
N. 9.

